DE

CANTICIS PLAVTINIS

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

CONSENSV ET AVCTORITATE AMPLISSIMI

PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CVM
VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE VIII. M. FEBR. MDCCCLXIIII. HORA XII.

IN AVDITORIO MAXIMO

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

Wilhelm (Friedrich Adolph)

GVILELMVS STVDEMVND

SEDINENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

H. KETTNER, DR. PHIL.

H. WALTHER, STVD. PHIL.

HALIS.

1864

bris ar
per la
quod i
gis min
iis ip
sus co
lis dep
ndere
ris I.
atina
gis qu
rat,
quoqu
n arte
iis e
am ac
textu
res. p
tutu
Eman
tina
n mi
uma
ileri
ition
ndo
urni
s
anti
ine
tri
9.)

CAPUT PRIMUM.

I.

Codicis ambrosiani in fabulis plautinis restituendis utilitatem cum summis semper laudibus extulerint uiri docti ex eo quo innotuit tempore, mirum est quod in recensendis canticis eam quam praebet uersuum distinctionem magis minusue neglexerunt. ducti autem uidentur eo, quod cum in optime traditis ipsi difficiliorum aliquot canticorum numeris non recte perspectis uersus constituissent ab illius discrepantes distinctione, eam quam in non nullis deprehendisse sibi uidebantur fabulis neglegentiam ad omnes paulatim extendere consueuerunt. ducti sunt eius simul corruptelae cognitione, quam codicis I. Camerarii ‚ueteris' (B) praeter ambrosianum (A) ducis in crisi plautina probatissimi quisquis fuit scriptor in distinguendis uersibus chartis magis quam traditionis fidei parcens irrepere in textum non semel tantum siuerat, simile aliquid palimpsesti librario accidisse conicientes. ducti sunt ea quoque non insolita opinione, qua aliquot post Plauti aetatem saeculis, cum arte metrica item atque prosodia commutata quae in canticis componendis essent leges non iam probe sciretur, grammatici adumbrata magis quam accurata instructi graecorum metrorum peritia adulterinos numeros in textum pro lubitu inferendo nouae uersuum diuisionis putabantur auctores. pellecti sunt denique ingeniosa doctrina, qua ambrosiani etiam tum destitutus ope huius opinionis auctor et defensor clarissimus Godofredus Hermannus ‚ueteris' uersuum distinctione susque deque habita si non semper plautinam dignam saltem Plauto εὐφωνίαν canticis reduxit. rem incohatam non minore extructi ingenio eaque ut par erat abiecta ferme opinione, qua grammatici cantica in noua scientes metra coegisse arguebantur, continuabant Fridericus Ritschelius Alfredus Fleckeisenus Theodorus Bergkius, illi in editionibus Hermannum corrigendo et noua simul plerumque eximia promendo, hic in libellis praesertim academicis et dissertationibus uariis insertis diurnis philologicis subtilissimo in rhythmis indagandis praeditus sensu duos illos ubi uisum est iterum castigando. praeter hos alii multi de canticis plautinis meriti sunt. sed cum propter licentias, quas in rhythmis graecis latine tractandis sibi sumpserunt scaenici romani, plurimi uersus uariis metris possint describi (cf. Ritschelii prolegomm. ad trin. p. CCLXXXXIIII sq.) et terentianae artis metricae trochaicum cum iambico numero liberius

confundentis haud immemores quaeuis cum quibuslibet in plautinis canticis metra poetae consociare licuisse putauerint uiri docti, tantum nunc discrepant eorum de plerisque locis opiniones totiesque iidem nouam de eodem loco protulerunt sententiam, ut difficilius quidquam excogitari nequeat quam perpensis omnibus illis quae in quoque cantico metra Plautus ipse posuerit explorare. profectus autem ab ea, quam plautinam quisquis admirabitur elegantiam dignam eo esse concedet, coniectura, qua fieri non potuisse ut temere metra misceret poeta non ita multo post romanae comoediae primitias florens pro certo habui, librorum scriptorum uestigia quam accuratissime premendo leges illas studui indagare. haesitantem uero, ne iuuenili aetate ea, in quibus uiri primarii elaborauerunt, retractaturus arrogantiae uitium contraherem, ut partem eorum, quae in canticis nouanda censerem, colligerem, admonuit insignis Th. Bergkii erga me indulgentia et liberalitas, qua quod nuperrime per aliquod tempus Halis uti licuit fortunae numquam non summam gratiam habebo. ac praeter ritschelianas fabulas nouem nunc eas quoque quinque insuper a Fleckeiseno recognitas sub iudicium uocaui; nam cum neque Amphitruo neque asinaria neque Curculio insint in ambrosiano (cf. C. E. Geppertum de cod. ambros. Lips. 1847 p. 26 sq.), fragmenta autem captiuorum et rudentis nihil ferme prosint ad illarum cantica (cf. eundem ibid. et praef. ad edit. captiu. Berol. 1859 p. III), Philippi Parei qualicumque contentus palatinorum collatione eo magis rem adeundam esse censui, quod et Fleckeiseni et Gepperti editionibus multum sum adiutus, et siquid peccauero eo facilius ueniam impetrabo. adieci aulularíam et Poenulum rationes meas metricas experturus. sub canticorum uero nomine omissa tota de uocabuli huius apud ueteres usu quaestione, quae ad nostram rem nihil refert, omnes eas scaenas liceat mihi comprehendere, quae neque senariis conscriptae sunt neque septenariis. ceterum ne academicae dissertationis fines nimis transgrederer, cum eas tantum opusculi mei partes typis exprimendas curauerim, quae maximi uidebantur momenti, in iis locis, de quibus nihil adnotaui, cum recentissimis editoribus me constanter consensisse minime credendum est.

Certissimus dux in diuidendis uersibus est palimpsestus, quamuis leuioribus non careat fortuitisque erroribus. falsus enim uidetur Ritschelius, quod in epistula ab Italia ubi tum uersabatur ad Hermannum data (cf. diurn. antiqu. stud. 1837 p. 756) a scaena Stichi I 1 profectus tam singulariter distinctos esse uersus censuit, ut fieri non posset quin ab indocto posterioris temporis grammatico pro ueris bacchiacis tetrametris non iam intellectis substitutos eos censeremus eum in modum, ‚ut ipso uerborum textu non commutato e. g. primos uersus sex in singulorum choriambicorum formam (praemissa basi bisyllaba) redigeret.' similiter idem in indice lect. Bonn. 184⅘ p. VIII = parerg. plautin. I p. 552 iudicauit. contradixit recte sed parum indulgenter Geppertus de cod. ambr. p. 92 sq., qui tamen in posteriore tantum scaenae parte metra recte cum Hermanno constituit. quibus uero totum illius

cantici initium scriptum sit et quam genuina palimpsesti sit diuisio, II IIII § 3 sq. explanabitur; de trin. IIII 1 extr. autem cf. II VII § 1.

Raro in A eosdem atque in B deprehendimus errores:

ut aut cum longo uersu breuiculum sequentem librarius aequaturus prioris caudam capiti posterioris praefigat: Pseud. 186 sq. uel inuerso ordine: 1131 sq., quo mendo B exemptus est (cf. III v § 2); aut membranarum parcus duos in unum praecipue in certis quibusdam fabulis coniungat: Pseud. 576 sq. 578 sq.? (cf. Ritschelii adnot. ad II 1), 593 sq. 1254a et b (cf. II v § 2); trin. 293 sq. 297 sq. 299 sq. etc. etc.; Pers. 489 sq., [~~aut etiam~~] ~~tres in unum: trin. 276a — 77a~~] ~~(cf. II VII § 2)~~.]

Pers. 494 sq. propter nouae personae initium uox uiuas in superiorem uersum uidetur adscita: ita enim eos uersus correxerim praeeunte e parte C. H. Weisio:

| Vnde tu pergránde lucrum faciás: || faciam ut mei mémineris, dum uitám
Viuas. | D. Bene díctis || tuis bene fácta aures meae auxílium exposcunt. | ||

(oct. anap. et sept.). Rit. deleto in priore faciam ut et in altero palatinos secutus, qui expostulant praebent pro exposcunt (A), anapaesticum octon. posuit cum septenario troch. in mediis anapaesticis uix probabili (cf. III v § 1): anapaesticum enim 496 quoque uideri iam Rit. non negauit. distinctionem in A per | notaui, in B per ||, ut constanter in hoc libello.

II.

Ambrosiani autem cum B comparatio, dummodo pauca perlustrentur cantica in utroque bene habita, hoc coarguit discrimen, quod cum A membranis parcendi infrequens admodum cultor uersiculos ea qua e poetae prodierunt manibus circumscriptione soleat reddere, ‚uetus' ante omnia id agens, ut ne quid frustra consumatur chartarum, simulque minusculis pro maiusculis usus breuiores cum uideat effici uersus quam in ea librorum familia, cuius membrum est A, uersus complures quam maxime fieri potest commode in unum pauciorcouе contrahit: in cantico Stichi egregie tradito (cf. II IIII § 4) I 1 extant in A primum recte diuisi sex uersiculi (= 1. 2R), quorum binos B (cf. Rit. editionem pp. 6 et 7) singulis uersibus comprehendit; at tres illi qui deinceps secuntur in A longiores (= 3—5R) eodem prorsus modo B distinguit; priori iterum generi adnumerandi sunt insequentium mox uersiculorum quattuor (= 6. 7aR) et deinceps duorum (= 8R) ambitus, posteriori uersuum 7bR et quinque continuorum, quos Ritschelius alio usus metro septem descripsit uersibus: 9—15. eadem est condicio uersuum 16 et 17, 31. 32. (cf. Rit. ad 18); Men. 575 (cf. III v § 2). 580+81 et 82. 583 sq. 590 sq.; Pseud. 212 sq. 216 sq. 221 sq. 917 sq. 919 (hunc enim u. apud Rit. octonarium ia. in duos potius dimetros ac. dispescendum esse docet A, dispescebat iam Weisius). 927 sq. 929 sq. 1129 sq. 1281 sq. 1285—94. 1296 sqq.

1319 (cf. II VII § 1); trin. 840 sq. (cf. II VII § 1); Pers. 175 sq. 191. 268a et b (cf. III IIII).

Non nulla in B peccata unam uel duas uoces ad priorem proprie pertinentes uersum posteriori praefigente (uel inuerso ordine) sanat A: Men. 592 sq.; Pseud. 139—41. 210 sq. 223 sq. 928 sq. 1325 sq.; Pers. 170 sq. etc.

In trinummi praesertim canticis, ut membranis parcatur, duo saepius uu. in A conscribuntur, quos 'uetus' etiam probe separatos tenet, cf. Rit. progr. XV octobr. 1848 p. 3 sq., proll. trin. p. CCC: 237a et b. 238a et b (cf. II VII § 2). 242 a et b (cf. II III § 1). 243 sq. 245 sq. 250 sq. 261 sq. 263 + 64a. 264b + 65a. 265b sq. 267 sq. 269 sq. 271 sq. 277b + 78 (cf. III V § 2). 279 sq. 287a et b. 289 sq. 295 sq.; item Pseud. 581 sq. (cf. etiam II I, 12. 13 secundum numeros Rit. in adnot.); quin etiam tres in A in duos aliquo modo coguntur: trin. 273 — 75, aut quinque in quattuor: 255—59 secundum Weisii restitutionem.

III.

Verum etiam ubi palimpsesti ope destituti sumus, dummodo ea menda distinctionis, quae a 'ueteris' scriptore saepius admittuntur, accurate dignoscamus, in 'uetere' certum superest refugium (cf. Rit. proll. trin. p. CCC, praef. Bacch. p. X). nam cum neglegenter is et ab ignaro latini sermonis homine conscriptus sit, non consulto sed temere si qui insunt illatos esse errores quin statuendum sit dubium non est.

Primum autem breuiculum uersum cum antecedente aut sequente maiore in unum solet contrahere:

a) priori breuiculum adnectit B: Amph. 221 (cf. II III § 2). 573 sq. (genus metrorum si non uersus ipsos probe recognouit Holtzius); Pseud. 186 sq. 221 sq. 261 sq. 576 sq. 578 sq. 1107 sq. (cf. A. Spengelius in dissertatione diligentissima 'de uersuum creticorum usu plautino' Berol. 1861 p. 27); Curc. 133 sq.; Bacch. 652 sq. (cf. II III § 2); capt. 783 sq. most. 126 sq.; Pers. 30 sq. (si enim B sequemur, quaternarius troch. 'Basilico — uictu' cum septenario 'Vah — loqui' restituetur, quos quaternarius ia. excipiet 'Set — est' — 32). 37 sq. 196 sq.; Men. 773 sq. 1005 sq., quos ita distinguas:

1004. ‖ O facinus índignum et malúm-, Epidamnií ciues, erúm ‖
1005. Meum hic in pácato oppidó luci derúpier in uiá,
Qui liber ád uos uenerít. ‖

Rit. dimetrum praemisit '— malum', submisit duos tetrametros; quod quamuis ab exclamationis 'O — malum' segregatione habeat quo se commendet, 'ueteris' tamen diuisionem praetuli, quia octonariorum iamb. 995 — 1005 trochaicis insertorum septenariis clausula postremum aptius tenebit locum. non multum autem a mea Bergkii distat sententia (in ind. lect. Hal. 186⅔ p. X adn. '')) de quinque dimetris iamb. cogitantis. [rud. 198b sqq. (cf. II I § 2)]

b) cum breuiculo sequentem uersum longiorem B in unum facit coalescentem: Men. 583 sq.; Bacch. 651a et b (cf. II III § 2). 991a et b (cf. III V § 1); Pseud. 1278 sq.; Amph. 246 sq. (cf. II III § 2). 644 sq. (cf. II VI § 1c). — saepius etiam factum est, ut breuem istum cum antecedente longiore quam maxime aequaturus scriptor cum totum uersum sequentem cum breuiculo consociare aut alia re aut chartarum impediretur angustiis, partem tantum illius cum hoc coniungeret, alteram partem proprio uersu comprehenderet: Pseud. 209 sq. 593 sq.; similiter rud. I 3, 35 sq.; Curc. 98b—100. 120—22; Pers. 490—95; rud. 949—53. 954—57; Curc. 106—8, quia 106 post longos 102 et 105 nimis breuis uidebatur; uu. enim 103 sq. in mss. post 109 traditos cur Fleck. e sua sede remouerit, non satis intellego, siquidem nec 103 sq. iuxta 109 positi sententiam turbant et pronomen πρωτότριτον in 110 cum quidem positum non magis offendit quam repetitum in 104 ‚haec huic anui' statim post 103 ‚haec anus.' Bacch. 1158 sq. septenariis anap. sine dubio admiscetur quaternarius:

1158. || P. Tactus sum uéhementer uiscó,
1159. Cor stimulo fóditur. || N. Pol tibi múlto aequius est cóxendicem. ||, ubi lacunas et additamenta non recte excogitauerunt uiri docti. 1179 sq. (cf. II VII § 1).

Tum breuiculo antecedentis longioris caudam solet praefigere: Bacch. 1098 sq., ubi tetrametris anapaesticis duo immiscentur dimetri (— 1100); Curc. 110 sq.; Pseud. 1121 sq. 1255 sq. (cf. II V § 2); Amph. 1071 sq.; trin. 252 sq. 829 sq. (cf. II VII § 1).

Tertium: duos aequales breuiculos in unum saepissime contrahit: Curc. 139 a et b (cf. III VII); capt. 498 sq. (cf. III V § 2); Pseud. 256 sq. (cf. II VI § 1a). 909 (cf. infra). 920 sq. 1129 sq. 1250 sq. 1262 sq. 1265 sq. (cf. II V § 3). 1281 sq. 1285 sq. 1287 sq. 1289 sq. 1291 sq. 1293 sq. 1296 sq. 1298 sq. 1300 sq. 1302 sq. 1307 + 10 (cf. etiam 1311 + 9); Amph. 236 sq. (cf. II III § 2); Pers. 251 sq. 253 sq. 758a et b. 759a et b (cf. III I). 799 sq. (cf. II II § 2); trin. 293 sq. 297 sq. 299 sq.; non numquam in mediis aequalibus recte seiunctis: most. 136 sq.; Men. 590 sq.; Bacch. 645 sq. 647 sq. 1110 sq. 1126 sq. — quod quominus efficeret, chartarum saepius impeditus angustiis plures in pauciores coegit nec nimis longos nec nimis breues i. e. e tribus duos aut e quattuor tres: most. 95 — 98; Pseud. 246—48. 253—55 duos tetrametos bacchiacos unumque quaternarium troch. (cf. II VI § 1a) in duos ita redegit, ut in medio uerbo ‚obse-Cro' prioris finem poneret (item 210 sq. in ‚amato-Res'). 914 — 16 probe iam separati in A; Amph. 176 — 79; Pers. 177 — 80; aut e quinque uersiculis duos longiores effecit: 277a—78b (cf. III IIII); turbarum in 770—75 uestigia extant maiusculae; Pseud. denique 922—24 quinque emendandos conicio uersiculos, quos B tribus uersibus complectitur: de 922 cf. A. Spengelius de uers. cret. usu plaut. p. 23 sq., 923 et 24 uero, qui apud Rit. sunt octonarii iamb., quattuor potius dimetros esse coarguit A, qui 924a et b

duobus uersibus describit; nec non 923 item in duos diuisum extitisse e lacuna sex uersus exaequante, quae in A in principio paginae 159 ante 924a extat, concludi potest, quippe quae a ‚Numquid etc.' 919b inceperit. nec non tres uersiculos in unum coniungit B: Pseud. 1308 (quo de cf. A. Spengel. l. l. p. 42 adn.) + 9 + 12; Amph. 634. 638 (cf. II VI § 1c); alia exempla passim in dissertatione adnotabo. multi uersus longiores in B ab editoribus frustra temptati in duos diuellendi sunt: Curc. 113 (cf. III VII); Pseud. 1128 a et b (cf. III V § 2). 1280 (cf. II III § 1). 1319 et 24 (cf. II VII § 1). saepius ut cum longo uersu insequentem paulo breuiorem aequaret, tertii alicuius capite hunc auxit B, tum uero ne longius serperet falsa diuisio, tertii illius dimidiam alteram multo breuiorem quam par erat solam reliquit: uelut most. 133 sq., ubi ut longo 132 similior fieret 133, illud ‚In fabrorum' e 134 adnectebatur 133mo.

Certa uersiculorum duorum in B in unum contractorum indicia non raro supersunt litterae grandiusculae, quae in libris antiquioribus in uersuum fronte extabant, postea in mediis uersibus a neglegente ‚ueteris' scriptore relinquebantur (cf. Ritschelium de biblioth. alexandr. p. 122, parerg. I p. 439, proll. trin. p. XXVIIII). unde simul in propatulo est codicem eum, ex quo B plautinas fabulas duxit, iam minusculis scriptum fuisse aut certe maiores singulis uersibus praeposuisse initiales. exempla sunt in Persa 773. 775. 777; most. 887 et 903 (cf. III III § 5); e Pseudolo Ritschelius in adnot. ad 243 sqq. laudat 248. 252. 303, addi potuerunt 354. 359 sq. 587. 909 (falso adhuc neglectus: cf. II VII § 1). 918. 921. 928. 930. 1286. 1288. 1290. 1294. 1299. 1301. 1303. 1305. 1307. 1310. 1312. 1319 et 24 (cf. II VII § 1). 1332 sq. (cf. infra); Men. 974 sqq. non numquam in B extant in mediis uersibus maiusculae reiectaneae, quod ubi in archetypo propter membranarum angustias per binorum spatium uersus non nulli pertinebant, pro binis uersibus integris (priore longiore, breuiore secundo) aut ‚ueteris' aut ex eius parentibus alicuius scriptor eos accepit: ita P littera (‚Prospereque') Pseud. 574 explicanda est, item 1104, item 910, quem cum palimpsesto pristinam tuente diuisionem in octonarium anap. redegi:

| ‖ Tum pol ego intérii, homo si ille abiít, neque hoc opus, ‖ quod nólui, hodie efficiám; ‖ |

Rit. deletis Tum et hoc opus nec non illic substituto pro ille et abit pro abiit septenarium effecit an., Fleck. deleto hoc octonarium tr. — alia uero caussa grandiusculae in B falso positae inde petenda est, quod iam ei libri, ex quibus is excriptus est, non dissimiliter atque A uersus praue separauerant: ita Pseud. 1297, nec non 1330 sq. excusandi, quos ego ita distinguo:

1330a. Númquid irátus es aút mihi ‖ aut filio
1330b. Própter has res, Simo? ‖
S. Nil profectó. - P. I - hac. S. Té sequor. quin uocas ‖
Spéctatorés simul? P. Hércle mi isti haú solent ‖
1333. Vocare neque érgo ego istos. dim. ia. c.

1331 Rit. spreta ‚ueteris' diuisione per grandiusculas notata tetrametros cret. continuauit ‚Propter—hac', ‚Te—simul' (plaudente A. Spengelio p. 17), ‚Hércle me isti haút solent: néque ego ergo istós uoco', in postremo praecipue a libris longius regressus. e maiuscula uero A in alterius aut capite 1330b colligendum est in codice ε aut γ (cf. Rit. proll. trin. p. XXXVII) inaequales 1330a et b quam maxime aequaturo illud ‚aut filio' posteriori fuisse praefixum. non dissimilis est maiusculae I condicio 1115 ‚Ego ut mihi Imperatumst etc.'; hunc enim uersum B felici aliquo casu ab Ego fecit exordientem, in exemplari autem ex quo hausit breuiori 1112 caput proximi (1115) adnexum sine dubio extiterat; perinde atque Men. 119 sq. dimetri iambici pars prior (cf. II IIII § 2) ‚Quando ego tibi' in ε aut γ octonario trochaico adhaesit.

Non nulla etiam omnino scriptoris neglegentiae tribuenda sunt: uelut most. 342 sq. B:

Vnde agis te? CAL. unde homo ebrius. || /e
Probe quin amabo accubas delphium mea. ||

Probe enim et sententia et metro flagitante ad priorem etiam u. pertinet. item Pseud. 199—201. 215 sq. 249 sqq.; Amph. ca. 575—78 ‚Vtinam — idem' secundum Fr. Guil. Holtzii editionem Lips. 1846; contra una duaeue uel plures etiam uoces (uel singulae syllabae: Pseud. 1110 etc.) posterioris uersus priori temere subiunguntur, ut non raro per plures uersus serpat mendum: Pseud. 209 254. 259. 359—61. 363 sq. 909. 929. 1270b (cf. II v § 1). 1272 sqq. 1326 sq. (cf. alia exempla apud Rit. praef. Pseud. p. XII sq.); et ut uidetur Amph. ca. 578 sqq. (Fleckeiseni enim bacchiaci quantumuis emendati plautina carent elegantia); trin. 291b ita cum antecedentibus corrigendus:

289.	| || Cetera rape, tráhe, fuge, late: lacrumás ||	quat. an.
290.	Haec mihi quom uídeo eliciunt, | ||	semisept. an.
291a.	Quia ego ad hoc genus hóminum durauí.	quat. an.
291b.	Quin prius || me ad plúris penetrauí? | ||	„

anapaestos igitur restitui cum mss., quibus totum illud canticum scaenam II 1 et scaenae II 2 principium (— 300) complectens abundare non e nostris editionibus sed e codicibus comperi. seruata enim ‚ueteris' diuisione tantum non omnibus abstinendum est supplementis, quibus anapaesticos dimetros iambicis uersibus et creticis et cretico-trochaicis mixtos euitare studuerunt recentiores. quod ubi tenueris, cum qui uersus anapaestici uideantur dubitari uix possit, ut chartis parcam, eas tantum eius cantici partes perstringam, quarum descriptio non omni exempta est difficultate.

Plurima igitur peccata in B ex eo explicanda sunt usu, quo librarius uersuum ambitum exaequare studuit. simile artificium, sed in maiorem multo modum' patens habes in codice laurentiano W a Ritschelio in recensendis Bacchidibus adhibito (cf. Rit. de bibl. alexandr. p. 115).

Saepius denique nouae personae sermonem post primam secundamue posterioris uersus uocem incipientem a nouo uersu initium capere cupiens turbas fecit scriba: uelut Amph. 563 sq. 569 sq.; Bacch. 1161 longissimi

anapaestici caudam ('Hau—mulier') ab alia pronuntiatam persona proprio uersu B comprehendit; most. 734 sq. post 'Processerunt' in fronte u. 735 finitur Simonis oratio, incipit Tranionis, 'uetus' autem omnia illius uerba in unum uersum cogit (734) et ad secundum (735) iam nimis deminutum particulam tertii adnectit. Pers. 225 in duos uersiculos B diremit.

Ceterum in uersiculis separandis malui ultra modum progredi quam 'ueteri' obsecutus diuersos numeros eodem uersu insolentius comprehendere; docet enim palimpsestus non modo dimetros anapaesticos in monometros non numquam (uelut Stich. I 1) esse seiungendos sed uersuum quoque e duabus tripodiis troch. cat. consutorum singulis colis rhythmicis singulos uersus adsignandos esse (uelut Pseud. 1293. 1310). eo magis igitur aut semiseptenarios trochaicos cum colis troch. semiquinariis uel dimetris creticis aut semiseptenarios iambicos cum dimetris bacchiacis eodem uersu conglutinare dubitaui, nisi ubi iuberet synizesis. neque noui enuntiati initium in uersiculorum fine non raro positum huic sententiae renititur, cum in longiorum etiam uersuum exitu inueniantur particulae et aduerbia ad uersus insequentis sententiam pertinentia: uelut, ut paucissima delibem, uah aliaeque interiectiones (cf. Richardus Bentleius ad Ter. Andr. IIII 4, 47 etc.), igitur (e. g. merc. 355), euax Cas. IIII 4, 16; cf. praeterea Cas. IIII 4, 18 in II IIII § 1, Amph. 221 exeuntem in item in B, Pseud. 209 (contra Bergkium in 'philologo gottingensi' XVII p. 40 et in ind. lect. Hal. 186⅞ p. VII). 215. uide igitur ne Pseud. 139 hoc, 918 iam retinendum sit, perinde atque Amph. 584 duo aperte traditi sunt quaternarii troch:

|| 'Vt minus ualeas ét miser sis, ||
Sáluos domum si rédiero. iam ||
Séquere sis etc. (sept. tr.),

pro quibus Holtzius hunc exhibet septenarium improbabilem:

|| 'Vt minus ualeas ét miser [ut] sis, sáluos si redíero. ||
Séquere etc.

neque most. 109 sq. in ibi offendere debuit Geppertus de elocut. lat. in prisc. dram. Lips. 1858 p. 120. ita Pseud. 1127 quoque nam uidetur defendendum:

|| Dum dat, dúm calet, déuorarí decet. nám || tetr. bac.

(nam cdd. italici, tam B, tamen CD), quamquam datur traditum est. Rit: datat, deleuit nam:

|| Dúm datat, dúm calet, déuorarí decet. || tetr. cret.

qui tamen in mediis bacchiacis minus placet: cf. III v § 2. — ea uero licentia non licet abuti contra codicum distinctionem (cf. Rit. proll. trin. p. CCLXXXXV sqq.): uelut merc. 354 Geppertus ad trin. ed. alt. p. 140 in illud 'Atque illam' perperam inuectus uersui antecedenti adfixit 'At', 354 autem ita incohauit: 'Eccillam abstrahat.'

CAPUT ALTERUM.

I.


§ 1.

NVMERI TROCHAICI cum linguae latinae accentu uenuste concinentis magnificentissimus propter grauitatem OCTONARIVS TROCH:



ἀσυναρτήτως quodam modo e duobus quaternariis compositus et per plures continuatur et in scaenis liberioribus septenariis immiscetur et in canticis passim occurrit.


Nobilior etiam SEPTENARIVS siue QVADRATVS et ipse ἀσυναρτήτως compositus:



post decrepitam numeri saturnii senectutem in ore populi romani tritissimus, quem a Menandro et aequalibus rarius usurpatum summopere adamauerunt cum Plauto comici romani (cf. G. A. B. Hertzbergius in praef. ad fab. plaut. sel. german. redd. 1861 p. XXXVIII sq.), non modo per totas scaenas perpetuatur sed in canticis quoque est frequentissimus.

‚Quot genera uersuum sunt, totidem eorum membra pro clausulis poni possunt' inquit Marius Victorinus p. 106G (cf. eundem apud Rufinum p. 381G) in canticis praesertim plautinis naeuianis terentianis minuscula ista cola reperiri simul addens. et reperiuntur reuera apud Plautum non modo clausularum uice functi sed etiam aut praemissi aut immixti eiusdem generis numeris permulti uersiculi et trochaici et cretici et iambici et bacchiaci et anapaestici.

In his non infimi sunt QVATERNARII TROCHAICI (dim. tr. ac.), quorum natura admodum simplex est:



qui saepius incogniti delitescunt hic illic aliis uersuum generibus secundum leges de metrorum consecutione inserti.

SEMISEPTENARII TROCHAICI (dim. tr. cat.)



et singuli extant in canticis et plures continuantur: uelut Pseud. 211—13. 216 sq.; accedunt ex eadem scaena si recte conieci duo, quos in unum cum ‚uetere' non sine mutationibus Rit. coniunxit:

195. P. Pól iste, ‖ atque etiam málificus. set táce [nunc] atque hanc rém gere. ‖ sept. tr.
195 a. P. Pól iste, ‖ atque etiam málificus.
195 b. Sét tace atque hanc rém gere. ‖

195a dubium est, num quaternarius iambicus iambicorum clausula describendus sit.

§ 2.

Marii Victorini p. 114G paradigmate fretus, quo tamen in comicis latinis recensendis non abutendum est, Bergkius ind. lect. Hal. 186⅔ p. V adn. [3]) VERSVM E DIMETRO TROCH. AC. ET PHALLICO CONSTANTEM Plauto tripodiarum omnino minus amanti uindicare studuit, sed admodum lubricis nititur exemplis: u. mutilo most. 864; Men. 111. 114 e coniectura plerumque constitutis.

De ITHYPHALLICI solius usu plautino e Marii Plotii p. 265 sq.G trochaici trimetri (i. e. secundum eius usum dicendi tripodiae troch.) exemplis non licet quidquam concludere; neque a ‚ueteris' distinctione per maiusculas notata is uersus commendatur, quem Ritschelio bene aduersatus A. Spengelius l. l. p. 13 adn. [2]) descripsit Men. 975 quamquam plaudente Bergkio l. l. p. IIII. — Rit. et Fleck. tripodiae tr. ac. ceterum si recte memini osores unum tamen exemplum in textum ultro quamquam dubitanter intulerunt praeter libros scriptos, Pseud. 141: legimus enim apud illum:

139. | Hárpaga, bibe, és, || fuge.
140. Hóc | eorum opust, ut máuelis || lupós aput ouis, quám domi |
141. Línquere hos custódes. | ||; apud Fleck:
140. Hóc | eorum opust, ut máuelis || lupós aput ouis línquere
Quam hós domi | custódes. | ||

uariat et lectio et diuisio in membranis. in insolentiore autem pronominis hoc in A collocatione in clausulae fine non erat haerendum. uersiculus enim 139 trochaicus cat. quasi numeri continuatione cohaeret cum iambico 140, de quo artificio quae congessi propter libelli angustias in schedis retinui. praeterea A: eorumst opus pro eorum opust et inuerso atque R ordine:

. . . . ouis quam (hos domi)
Linquere (custod)es, ut tripodiam tr. ac. non defendat.

ab A uero B primum discrepat, quod breuiculum 139 antecedenti (138) quominus totum adglutinaret chartis impeditus extremam uersus 139 partem proximo 140 praefixit, in ceteris autem toto coelo distant B et A, de cuius reliquiis si certius constaret, proponerem:

| Hárpaga bibe és fuge: hoc | semisept. tr.
Eorumst ópus, ut mauelís lupos apút ouis quam hos domí | oct. ia.
Linquere custódes. | penth. ia.

longe aliam uiam demonstrat palatinorum princeps:

Hárpaga bibe és || fuge: semisept. tr.
Hoc est eorum ópus, ut mauelís || quatern. iamb.
Lupos apút ouis linqueré quam-hos domí custodes. || sept. iamb.

procrastinanda quaestio, dum palimpsesti lectionem edoceamur.

Contra frequentissimum est apud Plautum colon uel rectius COMMA TROCHAICVM SEMIQVINARIVM siue PENTHEMIMERES TROCHAICVM (siue tripodia troch. cat.):

⏖ ⏕ ⏖ ⏑ ⏓.

quod cum plerumque cum dimetro cretico ac. aut cum semet ipso componatur (cf. II III § 1), solum etiam occurrit in primis cretico(-trochaico) rhythmo, ut par est, insertus: Pseud. 1256 (cf. II v § 2); [rud. 952 et 54.]

Ceterum colon trochaicum semiquinarium apud Statium Caecilium quoque aliis uersibus praemissum in usu fuisse diserte testatur auctor grauissimus M. Terentius Varro apud Rufinum de metr. comicis p. 2707P =379G: ‚Varro in VII: . . . . . . non numquam ab his (sc. clausulis) initium fit, ut apud Caecilium: ‚Dí boni quid hoc?', in quo Hermannus elem. doct. metr. p. 180 sq. et epitom. § 191 permire haesit. illud autem colon ex eis, quae de usu plautino a nobis disputata sunt, patet iambicis numeris non necessario praemissum fuisse apud Caecilium, ut uoluit Otto Ribbeckius uir clarissimus in adnotat. ad Caecil. u. 280 fragm. inc. XXX, sed aut trochaicis aut creticis id antecessisse ueri etiam multo est similius.

Interdum tale COLON TROCH. SEMIQVINARIVM DIMETRO TROCH. AC. subiungitur:

⏖ ⏕ ⏖ ⏕ ⏖ ⏕ ⏖ ⏕ | ⏖ ⏕ ⏖ ⏑ ⏓

uelut in cantico cretico-trochaico most. 740 talem redintegrari B iubet: ‖ Vénit nauis, nóstrae naui quaé frangat ratem. ‖ hunc Rit. parerg. I p. 461 dubitanter (cf. p. 462 adn.) in tetrametrum cret. ac. redegerat:

Vénit nauis, nóstrae quae náui frangát ratem.

Men. 586 secundum Bergkium ind. lect. Hal. 1862 p. VII (186⅗ p. VIIII adn. [9]); incertiores idem posuit 592 sq. l. l. p. IIII sqq. (in primis p. VI) et 977 dimetris (976; ita B) et septenariis (978 sqq.) iambicis inculcatum ideoque iambico senario non magis dissimilem.

II.

§ 1.

Trochaico proximus est NVMERVS CRETICVS, de cuius usu plautino nuper diligenter disseruit Andreas Spengelius patri illustri non impar. dolendum tantum, quod nouem modo fabularum ritschelianarum rationem habuit. nobilissimus creticorum TETRAMETER ACATALECTVS:

⏖ ⏕ ⏖ ⏖ ⏕ (⏖) | ⏖ ⏕ ⏖ ⏖ (⏑⏑) ⏓

e duobus dimetris ac. conflatus: hinc hiatus rarus in dihaeresi post priorem dimetrum: e. g. asin. 135; rud. 950; hinc syllaba anceps in eadem sede: e. g. asin. 134; rud. 243 (ubi simul persona mutatur). neglegitur tamen interdum dihaeresis: uelut most. 716. 729 sq.; asin. 128; rud. 197 (cf. infra). 250. 252; Curc. 118; Pseud. 926. 1303; Amph. 222 (‖ Hóstes

contrá legionés suas ínstruunt.||, quem Plauto abrogare non magis ausus sum quam proxime antecedentem.). 223. 227 sq.; Ter. adelph. IIII 4, 2 Bentl. (cf. II IIII § 3); Andr. 626. 631 sq. — pedes puriores amat Plautus quam in ceteris numeris: ultimus paenultimam breuem solet seruare; non numquam choriambi figuram induit: most. 882 ...... búbulis éxuuiis (Rit: éxuuiis búbulis); asin. 133; Men. 110 (cf. A. Spengelius l. l. p. 21); rud. 197 || Aút parentís sceleste, minus mé miserer. || (cf. II V § 3); Pseud. 1248 Nam hércle si cécidero, nóstrum erit flágitium.' (ita Carolus Lingius de hiatu in uu. plaut. Vratisl. 1817 p. 32; Rit: flágitium nóstrum erit.); Curc. 97a e. g. apud Geppertum in editione eius fabulae Berol. 1845 || Eíus amor cúpidam me huc prólicit pér tenebras. || (Fleck. contempta librorum memoria creticis praetulit anapaesticos).

Angustius aliquanto circumscripti sunt fines TETRAMETRI CRETICI CATALECTICI




eisdem utitur licentiis Plautus in hoc quibus in acatalecto: syllabam ancipitem in dihaeresi admittit e. g. most. 326 et hiatum e. g. trin. 273; ipsa autem dihaeresis in hoc quoque neglegitur: uelut most. 323. acatalectis creticis miscentur most. I 4 (= II 3R) etc. interdum gradatim descendit rhythmus a tetrametro ac. ad catalecticum per uersum e dimetro cret. et colo troch. semiquinario conglutinatum: ergo sollicitandum nego rud. 272.

Singulare genus tetrametrorum cret. cat. cum anacrusi, cuius uestigia apud Plautum ego deprehendi nulla, posuit Bergkius diurn. antiqu. stud. 1850 p. 339: Stich. 6b + 7aR, 7bR, 10 + 11R:

| Neque íd magis fácimus, | quam nós monet píetas. |
Set híc, soror, assídedum: múlta uolo técum |
| Patrém tuum méumque adeo únice qui únus | ,


quos tamen omnes una cum u. 9, quem pro cretico tetrametro cat. sine anacrusi Bergkius habuit, iambicos potius esse II IIII § 4 demonstrabitur. insuper in scaena ad quam pertinent neque creticis locus est neque bacchiacis (cf. II VII § 2).

Et praemittitur et inseritur et postponitur aliis creticis DIMETER CRETICVS ACATALECTVS



cuius alter pes fere nusquam est choriambus.

Rarissime inueniuntur DIMETRI CRETICI CATALECTICI:



satis tamen librorum memoria confirmati Pseud. 931b et 936a; hunc inuestigauit A. Spengelius l. l. p. 25:

P. 'Optume habet. S. 'Esto. || creticos tetrametros ac. claudentem. Rit. contra neglecta ‚ueteris' diuisione inde ab ‚Optume habet'

trochaicorum constituit initium, de grauissimis simul turbis in sequentibus cogitans: sed ne uerbositatem poetae uitio demus, obstat similium locorum copiosa dictio, tralaticiumque uersuum ordinem Hermanni tuetur auctoritas el. d. m. p. 393 sq. trochaici autem 936—38 cum mss. instaurandi. — inseritur praeterea creticis (926—30. 931—36a) similis dimeter cret. cat. 931b cum quaternario troch. 931a trochaicorum 936 sqq. praenuntio (cf. III III § 4) iugatus:

931. ‖ S. 'Occidis me, quom ístuc rogitas. P. 'O hominem lépidum. ‖ quat. tr. + dim. cr. c.

omisso ‚O' editores in aliis numeris enucleandis uanam operam collocarunt (cf. III v § 2). eadem QVATERNARII TROCH. CVM DIMETRO CRET. CAT. coniugatio, ut hoc anticipem, saepius delitescit: uelut Curc. 155—57 in mss. acquiescendum conicio:

155. ‖ Pérspicio nihilí meam uos grátiam fácere. ‖ quat. tr. + dim. cr. c.
156. 'St, tace tace. PA. Táceo hercle equidem. PH. Séntio sónitum: „
157. Tándem edepol mihí morigeri péssuli fíunt. ‖ „

libere Fleckeisenus:

‖ Perspicio níhili meam uos fácere gratiám. ‖ st, tace tacé. oct. ia.
PA. Táceo hercle equidem. PH. Séntio semisept. tr.
Sonitum: ‖ tandem édepol mihi moríigeri pessuli [ílli] fiunt. ‖ sept. ia.

rud. 952—55 duo uersus eodem metro describi possunt cum B, quos in quattuor discerpsit Fleckeisenus (cf. II II § 2); etc. —

§ 2.

Rarus quoque TRIMETRI CRETICI ACATALECTI usus



quem cauendum est ne contra libros in textum plautinum inferamus. exempla diligenter collegit A. Spengelius p. 28—34, probabilia autem miscuit cum improbabilibus: uelut Men. 574 (p. 34)

Bónine an mali sínt, id haud quaéritant.

merum bacchiacum uitiauit (cf. III v § 2), Bacch. 1116 (p. 30 sq.) quaternarium troch. bothianum praeteruidit. parum quoque certos (p. 29 sq.) trin. 294. 296. 275 (inuita ‚ueteris' distinctione, quae retinenda est) trimetros creticos acat. et cat. posuit, qui trochaicis et anapaesticis numeris non dissimiles uidentur. ritschelianis tamen additamentis abstinendum esse suo iure contendit. abstinendum etiam est eis, quae Fr. V. Fritzschius uir clarissimus in ind. lect. Rostoch. 1861 p. 6 et 8 ingeniose excogitauit, quippe quae sententiarum nexu non flagitata metri in primis caussa addiderit. neque magis audiendus est Guilelmus Wagnerus in uers. german. trin. Francof. 1861 p. 75. 298 uero e dimetro cret. et dipodia troch. conflatum esse II III § 2 docebimus. displicet enim alterius et tertii pedis lurda duritia, quam non effugit Spengelius cum de tali trimetro cret. cogitaret:

Túrbidos, quís boni dedécorant se.

non magis probauerim, quod uersuum ritschelianorum Pers. 801 sq.

|| T. Dá illi cantharum: éxtingue ignem, si úritur, capút || ne ardescat. oct. tr.
D. Lúdos me fácitis, intéllego. T. [Dígnus es.] || tetr. cret.

alterum A. Spengelius p. 33 sq. omisso supplemento trimetrum esse maluit. ‚uetus' enim in ‚caput' priorem facit exeuntem; ritscheliana autem recognitio Hermanno nititur auctore in el. d. m. p. 215; 801 cdd. addunt cor post si, quo seruato Geppertus ad trin. ed. alt. Lips. 1854 p. 146 duriorem multo effecit octonarium. immo in ‚ueteris' partes abeundum:

|| T. Dá illi cantharum: éxtingue ignem, sí cor uritúr, caput || sept. tr.
Ne árdescat. lúdos me fácitis, intéllego. || tetr. cret.

creticum autem tetrametrum in antecedentibus quoque absconditum delitescere suspicor, in quibus nihil nouandum:

799. Lítibus. postérius istaec quatern. tr.
800. Té magis pár agerest. D. 'Vritur cór mihi. || tetr. cret.

Ritschelius transposito ‚Cor mihi uritur' et contempta ‚ueteris' diuisione octonarium iamb. constituit in mediis trochaicis suspectum.

TRIMETROS CRETICOS CATALECTICOS post Hermannum in el. d. m. p. 221 Fleckeisenus posuit, defendit A. Spengelius l. l. p. 28 sq.: rud. 953 et 955; sed trochaico - cretici potius uidentur cum 952 et 54 (cf. II II § 1). praeterea idem l. l. p. 38 sq. uersum multimodis a criticis uexatum Pseud. 1297R:

Nón uides me, ut[i] mádide madeam [ego]?; pro quo Herm:
Nón uides mé[d] ut[i] mádidus adeám?; Fleck:
Nón uides mé[d] ut[i] mádide madeám?

trimetrum cret. catalecticum uideri dubitanter professus est:

Nón uides me út madide mádeam?

sed merus est qualis circumfertur quaternarius troch:

Nón uides me ut mádide madeam?, sicut uersus 1295 in trochaicum octonarium redigendus est cum mss. — idem p. 29 trin. 300 ita instaurauit:

Múlta bona in péctore consídent.

Rit. cum Herm. [consilia] comprobante Wagnero l. l., Fleck. cum Fritzschio (‚de locis aliquot trinummi' Rostoch. 1849 p. 6; cf. eundem in ind. lect. Rost. 1861 p. 6 et 8) [praecepta] post pectore addendo tetrametrum cret. cat. redintegrauerunt; sed talis qualis traditur integer est quaternarius troch. insequentium trochaeorum quasi πρόδρομος:


Múlta bona in pectóre consident.

in accentu mediam uocis pectóre notante non magis est haerendum quam e. g. Bacch. 628 Múlta mala mihi ín pectóre nunc ácria atque acérba eueniunt, in quo recentiores nunc frustra post acerba collocarunt, aut Pseud. 578 'Vt agas, ut eas mágni facias. iám ego in meo pectóre prius, in quo ut post eas et ego post pectore posuerunt. de trin. denique 275 cf. supra.

III.

§ 1.

Vt consanguinei interse sunt ita uariandi rhythmi gratia EODEM VERSV CONSOCIANTVR CRETICI ET TROCHAEI ἀσυναρτήτως, ut par est. in his quae frequentissima est forma dimetrum creticum acatalectum cum colo trochaico semiquinario habet coniunctum, ut aut praecedant cretici aut subsequantur: utrumque genus tetrametrorum cret. ac. uice fungitur, crebrius tamen illud quod E DIMETRO CRETICO ACATALECTO ET COLO TROCHAICO SEMIQVINARIO COMPOSITVM est, obiter tactum ab Hermanno el. d. m. p. 303:



obseruatur plerumque dihaeresis in medio uersu, neglegitur raro ut in tetrametro cretico e. g. most. 134. 140 (mss. a pro de R). 694. 699. 701; Pseud. 1300, et ita ut caesura fiat post uerbi compositi praepositionem Bacch. 4; Pseud. 1311. contra etiam syllaba anceps in medio uersu occurrit: most. 337. 710; Pseud. 1294; Ter. Andr. IIII I, I=625Fl (cf. II VIII) et hiatus most. 336 (cf. II III § 2) etc.

PENTHEMIMERES TROCHAICVM CVM DIMETRO CRETICO ACATALECTO



Ritschelius semel statuit most. 315, quem A. Spengelius l. l. p. 43 e duabus tripodiis troch. cat. constare docuit, etsi metrorum consecutio (cf. III V § 2) iambicum quaternarium non respuat talem:

Nam illi ubi fui, inde éffugi forás.

Spengelius ipse l. l. (cf. p. 20) haec noua eius metri exempla egregie conquisiuit: most. 111. 114. 152+53 (detectum iam ab Hermanno l. l.) plaudente Bergkio in ind. lect. Hal. 186⅔ p. IIII adn. [2]). 138 autem in mss. penthemimeres troch. est cum semiseptenario troch., de 783 cf. II VI § 1a.

praeterea 112 putrefacit (mss.) seruato et palmari Bergkii coniectura per[dit] pro per, quod Camerarius iu aer mutauerat, recepta (munitur insuper uersu 136 ‚Perdidi operam fabrorum ilico oppido'.) emendo:

Tígna putrefacit, pér[dit] operám fabri:

ut iam ad hunc uersum non pertineat subtilis Ritschelii excursus in mus. rhenan. VII p. 610 sq.

idem metrum restitui 731 a Rit. parum probabiliter pro bacchiaco sumpto (cf. III V § 2), ubi caesura simul delitescit:

Vítam colitis. T. Immó uita antehác erat:

idem 733: S. Quídum? T. Ita oppido occídimus omnés, Simo.

Herm. addidit [hic] post Ita (tetr. cret.).

idem latet 737 sq., qui apud Rit. tales leguntur:

737. || Sét, Simo, ita nunc uéntus nauem || [nóstram] deseruít. S. Quid est? sept. tr.
738. Quó modo? T. Péssumo. || S. Quaéne subdúcta erat tetr. cr.

cum B enim distinguendum est:

737a. || Sét, Simo, ita nunc uéntus nauem || quat. tr.
737b. Déseruit. S. Quid est? quó modo? T. Péssumo. || penth. tr.+dim. cr.

quid de 738R altera parte fiat, II III § 2 exponetur.

Eodem porro metro describendi:

rud. 211. || Sáltem aliquem uelim, quí mihi ex hís locis ||

addebatur [ego] post saltem.

rud. 233. || Vénit. eximes éx hoc miserám metu? ||

addebatur [an] uel [tune] ante eximes. pronomine me in mss. omisso opus uix est; quod quo restitueretur, Fleck. transp: .... míserám [me] ex hóc metu; frustra est Geppertus de eloc. lat. in dram. p. 120.

Curc. 109. Síne ductim. set hac ábiit, hac pérsequar.

uu. dd. uario modo uersum suppleuerunt, solus Fleckeisenus eundem, quem ego e colo troch. semiquinario et dimetro cret. constare conieci, producta prima in Sine pro integro tetrametro cret. uenditat. sed cum de correpta semper inter omnes constet, typographi non Fleckeiseni neglegentiae peccatum illud uidetur tribuendum. similiter autem compositus est eiusdem scaenae u. 112 || Cénseo hanc áppellandum ánum: adibo. redi, || (Fleck. add. [esse] post anum.).

Pseud. 1310 cum A: Sét, Simo, ut probe táctus est Bállio.

palatinos secuti, qui táctus Balliost exhibent, duo cola troch. semiquin. propagabant uu. dd. — trin. 242R:


| || Nám qui amat, quod amát, quom extemplo [eius] || sáuiis percúlsus est, | || sept. tr.

B 242 in duos (post extemplo) dispescit, quod rarissime fit contra genuinam traditionem, additque cum suis sagittatis (post sauiis), quod cum A reiecerunt recentiores metri simul commoti difficultate. Herm.: saui sagittis metri gratia; sed ‚sagittata sauia' non minus eleganter dicuntur; etenim ut ‚hastatus' est ‚is qui hastas gestat, hastis utitur in pugna', ita ‚sagittatus' est ‚is qui sagittas gestat, sagittis utitur in pugna'; quod uero A eam uocem omisit, id eidem librarii neglegentiae adscribendum est, qua 231 omisit sit, 238 con- (cf. Geppert ad h. l. ed. alt.), 271 animo. emendaui igitur:

242a. | || Nám qui amat, quod amát, quom extemplo || quat. troch.
242b. Sáuiis sagittátis percúlsus est, | || penthem. tr. + dim. cret.

sequitur tetrameter cret. ac.

Creticorum tetrametrorum uicariae admodum frequenter extant DVAE TRIPODIAE TROCHAICAE CATALECTICAE (siue duo cola troch. semiquinaria siue duo penthemimere troch.):



non numquam trochaicis uersibus immixtae sine creticorum uicinia. — ceterum ut tetrametri cretici magis distant a meris uersibus trochaicis, ita ubi ab his transitus fit ad creticos, quo gradatim numeri accrescant, non raro medium tenent locum cola illa semiquinaria (cf. A. Spengel. l. l. p. 23 adn. [1])).

Prior pars ut in tetrametro cret. in syllabam ancipitem excidit Pseud. 1302, adhibetur hiatus in dihaeresi most. 342; Pseud. 1293 (quem A in duos uersiculos dispescit).

eidem generi tribui Pseud. 1268a, cui et praemittuntur (1267, cf. IIv § 3) et submittuntur (1280a et b, cf. infra) uersus e binis colis troch. semiquinariis conglutinati: Rit. quidem duos uersiculos in B separatos in unum contraxit septenarium iambicum:

1268a et b: || Hoc ego modo átque erus minór || hunc diem sumpsímus prothyme. ||.

plaudente Gepperto de eloc. lat. etc. p. 25 sq., qui tamen frustra inuerso ordine maluit diem hunc. codicum distinctionem tueri poterat duos dimetros notando. sed cum per se suspecti in hoc loco bacchiaco-trochaico sunt iambi tum omni carent probabilitatis specie, si proximum 1269 accuratius respexeris: qui si iambicus esset, qualis est apud Rit:

|| Postquam opus meum, út uolui, omne pérpetraui hostíbus fugatis, ||,

de iambis in 1268a et b dubitandum profecto non esset; sed cum eodem iure pro octonario troch. is acceptus sit a Bothio et Weisio, meliore autem propter seruatum librorum ordinem (mss: ‚omne ut uolui') a Bergkio in comm. de plautin. fab. emendandis Hal. 1858 p. X:

|| Póstquam opus meum ómne ut uolui pérpetraui hostíbus fugatis, ||,

1268a et b quoque trochaicos esse ueri fit simillimum. et 1268b ultro in quaternarii troch. formam abit, qualibus tota illa scaena abundat:

1268b. || Húnc diem sumpsímus prothyme. ||, pro quibus Bergkius unico cretico phallicum permire subiungere maluit:

|| Húnc diem
Súmpsimus prothyme. ||

de ‚sumpsímus prothyme' cf. Bergkium ipsum in 1269 notantem ‚hostíbus fugátis'; licuit etiam ‚Húnc diem súmpsimus p.' 1268a autem producta, ut solet in creticis, quibus proxima sunt cola ista troch. semiquin. purorum trochaeorum amantissima, altera pronominis ego syllaba ita descripsi:

1268a. || Hóc ego modo-átque erus minor || duo penthem. troch.

displicet enim ab unico iambico Hoc ego modo átque erus minór nouam cantici partem ab iambis ad trochaeos per baccheos traducentem incohari.

Quin etiam absconditur dihaeresis: Pseud. 1280a:


1280R: || Nímiae tum uoluptáti edepol fui. dátur ob casum cántharus. || sept. tr.

cdd. inuerso ordine ob casum datur, in fine addunt bibi. restituendi sunt duo uersus e binis tripodiis troch. cat. compositi, quales in eo cantico plures occurrunt; cf. etiam unicam tripodiam cat. 1256 (cf. IIv § 2):

1280a. || Nímiae tum uoluptáti edepol fui.
1280b. Ób casum datur cántharus: bibi. ||

Omitto alia cretico-trochaicorum genera hic illic per cantica dispersa: uelut dimetros creticos acat. cum semiseptenariis trochaicis non numquam in unum uersum coire docet elisionis licentia, ut aut praecedant cretici aut subsequantur: ita rud. 198—201, quos non bene deprauarunt recentiores, prorsus cum cdd. instaurari possunt, item Curc. 96 creticorum geppertianorum duritia mitigabitur etc. etc. missis, ne longus uidear, ceteris locis unam seligam formam magis frequentatam:

§ 2.



Sicut tetrametro cretico acatal. tetrameter cret. catalecticus ita uersui e dimetro cretico et tripodia troch. cat. consuto respondet is, cuius schema supra depinxi: COMPOSITVS E DIMETRO CRETICO ACAT. ET DIPODIA TROCHAICA ACAT. cuius cum perpauca exempla sollerter indagasset (most. 339—41; nam Pers. 790 aliter dimetiendus est.) A. Spengelius l. l. p. 43 sq., permulta omisit cum cdd. perpolienda.

Hermannus el. d. m. p. 216 cum adhiberi passim hoc schema sensisset –́ ⏑ – | –́ ⏑ – | –́ ⏑ ⏑ ⏑ | –́, de cretico tetrametro cat. in syllabam cogitauit. contra A. Spengelius l. l. p. 34 sqq. ultimae tertii pedis in duas breues constanter solutae caussa latente nouum constituit pedem rhythmicum uereor ne ἄρρυθμον –́ ⏑ ⏑ ⏑ – nec cretico nec choriambo dissimilem. sed in latinis poetis numeros Graecis incognitos quisquis indagabit, aliis persuadebit difficillime. neque quot syllabis contineatur arsis, quot pedis illius thesis apparet, neque ad ἴσου aut διπλασίου aut ἡμιολίου generis leges reuocari potest. accedit quod uersuum tripertitorum parum amans est ars plautina (cf. II II § 2 et II V § 2 etc.). laudandus tamen est Spengelius, quod hermannianam explicationem refellit, utpote quae insolita catalexi nimis asperos numeros effecerit. sed considerasset uellem, quod mox (p. 43) sibi ipse contradicens dimetrum creticum cum dipodia troch. acat. consociatum apud nostrum inueniri intellexit, cum ipse (p. 35) eius uersus qui uocatur creticus tetrameter cat. in syll. semper hanc esse speciem pronuntiasset: –́ ⏑ – –́ ⏑ – –́ ⏑ ⏑⏑ ⏑⏑ ⏓. cur uero haec duo schemata (nam alterum est: –́ ⏑ – –́ ⏑ – –́ ⏑ – ⏓) distinxit? idem enim est, nisi egregie fallor: dimeter creticus cum dipodia trochaica, cuius alter trochaeus arsin modo monosyllabam longam habet (cf. ex eius exemplis most. 341 Dí te ament: áccuba, Cállidamátes) modo solutam in duas breues (cf. eiusdem exempla 339. 40 C. Ecquis hic ést? P. Adest. C. Eú, Philólaches. et Sálue amicíssume mi ómnium hóminum.). ergo quam accuratissime — cf. supra — respondet is uersui in antecedente paragrapho tractato: sedatiorem ille habet exitum in thesin hic in arsin elatiorem. nec latet caussa

ultimi trochaei arseos in duas breues saepius solutae, eademque est qua in quouis trochaicorum genere duas bisyllabas uoces siue trochaicas siue spondiacas in exitu positas fugerunt scaenici romani; binis uero uocibus dipodiam trochaicam in illo metro expleri non ita rarissime iubebat caesura post dimetrum creticum religiose plerumque obseruata. hinc talia uelut:

most. 693. Núnc dormitúm iubet me íre: mínume.
697R? Nón bonust sómnus de prándio: ápage.

sed cum eximia Spengelii diligentia talem errorem neglegentiae adscribi uetet, nescio an ictus positio, si trochaicum mecum exitum agnoueris, nimis asperà in non nullis eorum uersuum, quos in ‚nouum' suum pedem exire sibi persuaserat, quominus in meam abiret sententiam eum impediuerit. asperrime enim exirent e. g:

most. 336. Núm non uis me óbuiam his íre, aníme mi?
Pseud. 1286. Sét quid hoc? quó modo? quíd uidéo ego?
1291. Sét hoc illi mé uotat uím facére nunc.

aliis autem metris hos uersus reddendos conicio:

most. 336 (cf. 337). Núm non uis me óbuiam-hís ire, ánime mi? dim. cr. + penth. tr.

Pseud. 1286 mss. (praeter A, cuius lectio incerta est) tu inserunt post quid, quo aut seruato aut cum Rit. in ita mutato dimeter cret. euincetur cum tripod. tr. cat; 1291 uero A in fronte: SEDILLI (illi deest in pall.).

Alii autem uersus a Spengelio pro trimetris in pedem ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑ exeuntibus habiti huc omnino non pertinent: Pseud. 1297 (cf. II II § 2). 1288 Líbere hercle hóc quidem. sét uide statum: (dim. cr. + penth. tr.). 1299, nisi cum Rit. lacunulam ex A erueris, a dactylicorum infinitiuorum licentia insuperque a nouae personae initio satis defenditur: Cúm corolla ébrium incéderé. P. Lubet. (dim. cr. + penth. tr.). similiter most. 696 Vóluit in cúbiculum abdúceré me anus. et rud. 209 Quaé mihist spés qua me uíueré uelim? Pseud. 1312 Ómnia ut quícque egisti órdiné scio.

Cetera exempla spengeliana plautinam prorsus produnt elegantiam, etiamsi in dimetrum creticum et dipodiam troch. redigantur:

most. 702. Quóm magis cógito cúm meo ánimo'. (frustra est Rit. ad 693).
„ 703. Sí quis dotátam uxorem átque [eam] ánum habet', e Spengelii p. 37 coniectura (eam facile intercidit inter ‚atque' et ‚anum'.).
„ 706. Éxequi cérta res ést ut ábeam.

Occurrunt praeterea catalecticis saepe inserta tetrametris creticis multa eiusdem metri exempla a uu. dd. praeteruisa:

most. 327. Quam ílli ubi léctus est strátus, coimus.

(Herm. add. [nos]), quem caue ne lectust substituendo in quaternarium tr. redigas in tria trochaica (spondiaca) uocabula exeuntem. refutandus autem est Geppertus de elocut. lat. etc. p. 13 deleto coimus 326. 27 uno septenario anap. comprehendens: Caue modo, ne príus in uia accumbás, quam illic ubi léctust stratus.

most. 732R Nunc nobís [simitu] ómnia haec éxciderúnt., cum cuius loci indole

male concinunt bacchei (cf. III v § 2), remoto simul suppositicio [simitu] emendandus:

Núnc nobis ómnia haec éxciderunt.

eodem statim metro 738 (cf. ibid.) compositus est. Rit. quidem in recensendis 737—40 a B recessit, sed 737 b ita legendum ‖ Déseruit. S. Quid est? quó modo? T. Péssumo. ‖ iam II III § 1 docuimus. sufficiat ritschelianae diuisionem meam subscripsisse: Rit. igitur uoluit:

738. Quó modo? T. Péssumo. ‖ S. Quaéne subdúcta erat
739. Túto in terram? ‖ T. Eí. S. Quid est? T. [Heú] me miserum: óccidi.
740. S. Quí? T. Quia ‖ uenit náuis, nostrae náui quae frangát ratem. ‖

propono cum mss:

738. ‖ S. Quaéne subdúcta erat túto in terram? ‖ dim. cret. + dipod. troch.
739. T. Eí. S. Quid est? T. Mé miserum: óccidi. S. Quí? T. Quia ‖ tetr. cret. ac.
740. Vénit nauis, nóstrae naui quaé frangat ratem. ‖ dim. tr. ac. + penth. tr. (cf. II I § 2).

rud. 203 cum cdd. medeor:

Lénior ésset hic mi éius opera. Fleck. mihi post opera transp.

item 212: ‖ Aút uiam aut sémitam mónstret: íta nunc,
Hác ‖ an illác eam, incérta consili. ‖ dim. cret. + penth. tr.

in posteriore [sum] reieci.

rud. 216 emendo: ‖ Haéc, parentés mei, hau scítis miseri ‖

uu. dd. ut aliquod certe metrum elicerent, uaria frustra temptauerunt, uelut Fleck. expuncto miseri octonarii troch. initium adsecutus est transponendo:

‖ Haéc hauscitis, méi parentes, ‖ etc.

rud. 232 librorum lectionem reuocaui:

Múlier est, múliebris uóx mi ad auris ‖

Bothius tetrametrum cret. descripsit subiuncto e 233 (de quo tamen cf. II III § 1) uenit:

Múlier est; múliebris uóx mi ad aurís ‖ uenit.

errauit autem quod uenit pro praesente uidetur accepisse (cf. tetigit 234); alii transp. ad aurís mihi, sed nolui gradationem obscurare, qua a duobus colis troch. semiquin. (‚Spes—mihi' 230 sq.) per uersum e dimetro cret. et dipodia troch. constantem (232) ad tripodiam troch. cat. cum dimetro cretico (233) et deinde ad tetrametros cret. ac. (234 sqq.) numerus accrescit.

item Bacch. 651—53 codicibus obsecutus sum:

651a. ‖ Néquius nihil penth. troch.
651b. 'Est quam egens cónsili séruos, nisi habet ‖ dim. cret. + dipd. tr.
652. Múltipotens péctus: ubicúmque usus siet, dim. cret. + penth. tr.
653. Péctore expromát suo. ‖ semisept. tr.

longius post alios Rit. a mss. recedendum arbitratus est:

‖ Néquius níl quam egens cónsili séruos est,
Nísi [is] habet ‖ múltipotens péctus, [ut cópias,]
'Vbicumque usús siet, péctore promát suo. ‖

capt. 213 cum mss. correxerim:

‖ L. Fíat. apscédite hinc. nós concedámus huc.

214. Sét breuem órationem íncipisse. || dim. cret. + dipod. tr.

uu. dd. praeter ‚ueteris' diuisionem tetrametrum suppleuerunt adscito e proximis Hem mi istuc (cdd. || Hem istuc mihi), quae religiosius cum cdd. perinde atque antecedentia redintegranda sunt.

itidem uu. uexatissimis Amph. 236 sq. 245—47 sua forma reddi potest leguntur enim hodie in mediis tetrametris cret:

236. || Hóstes crebrí cadunt: nóstri contra íngruont. tetr. cr.
Vícimus uí ferocés. || dim. cr. hypercat!
245. || Cúm clamore ínuolant, ínpetu alacrí || [ruont]: tetr. cr.
Foédant et próterunt hóstium cópias „
Iúre iniustas. || clausula: dipod. tr!

245 Herm. add. [ruont] el. d. m. p. 209 sq., Lindemannus, cui adstipuatur Holtzius: [inruont]. dimetri autem hypercatalecti cum nihili sint, 237 summam mouet suspitionem; quare Herm. l. l. (cf. epitom. § 210) coni: Férri ui uícimus dim. cr. (Lindem: Vícimus uí fera), 247 Ví retundúnt eas. contra clausulis inusitatis patrocinantur Bothius Weisius Holtzius, Fleck. medelam desperat. simpliciter autem cum cdd. emendandum est:

236. || Hóstes crebrí cadunt: nóstri contra dim. cr. + dipd. tr.
'Ingruont. uícimus uí feroces. || „
245. || Cúm clamore ínuolant, ínpetu alacri: || „
Foédant et próterunt dim. cret.
Hóstium cópias iúre iniustas. || dim. cr. + dipd. tr.

nec tamen ideo eiusdem generis esse censeam 242 Hóc ubi Amphítruo erus cónspicatust, (addebatur in fine frustra [meus]) sed dimeter cret. est cum colo troch. semiqu: Hóc ubi Amphítruo erus cónspicatus est, pro quo nescio an loquatur 221b, quem ita sanaui:

221a. || Nós nostras móre nostro ét modo instrúximus tetr. cret.
221b. Légiones, item || penth. troch.
222. Hóstes contrá legionés suas ínstruont. || tetr. cret.

contempto B Bothius duos senarios iamb., nec minora molitus Lindemannus creticum tetrametrum cum senario iamb., Holtzius septenarium iamb. simplicius cum senario posuit; quibus omnibus recte aduersatus Fleckeisenus 221 sq. ut spurios a Plauto studuit abiudicare: sed dilatant non turbant orationem.

Sicut tetrametro cret. ac. respondet dimeter cret. cum colo troch. semiquinario ita tetrametro cret. cat. dimeter creticus cum dipodia troch: hoc illud est quod trin. (298 sq.) tetrametris cret. cat. 293. 95. 97 duo huiusmodi uersiculi inseruntur, quorum priorem iam Bothius recognouit:

298. Túrbidos, quíbus boni dédecorant se.

Rit: ‚sé[se] dedécorant' probante Fritzschio ind. lect. Rost. 1861 p. 8, Fleck. cum Rit. in adnot. ad l. l: ‚dédecorant sé[se].'

299. Haéc tibi sí mea impéria capesses,

transponebatur cum Herm: ‚capessés mea impéria'; Fritzschius l. l. p. 6: Hinc pro Haec. — in proceleusmatico -peria ca- pro trochaeo uix offendendum. quaternarius anapaesticus minus probabilis uidetur; hoc

certe constat nimis frigere quattuor illos septenarios anap., quos inuitis libris descripsit Geppertus in sua editione = 293—300R. ne uero proceleusmatico desit ea, quam in talibus analogia subministrat, tutela, ex eadem scaena addam 251 cretico tetrametro cat. (250) et ipsum subiunctum:

|| Nóx datur: dúcitur fámilia tota. | ||,

quem frustra aut transponendo aut inserendo [ei] adùlterabant uu. dd.

eadem ratione in mediis tetrametris cret. cat. 270. 73 inueni:

271. | || Quámquam ibi animó labos grándis capitur, ||
272. Bóni sibi haec éxpetunt, rém fidem honorem. | ||

271 transponebatur grandis post ibi; 272 inserebatur [et] post fidem aut hiatus admittebatur post fidem (ita Geppertus comment. ad trin. p. 149 et Fritzschius l. l. p. 7), quo tetrametri cret. cat. efficerentur. alios praetereo.

IIII.

§ 1.

IAMBICI NVMERI cum non minus frequententur quam trochaici, SENARII tamen simplici diuerbiorum indoli apte inseruientis rarus admodum usus est in canticis. supersunt manifesta eius uestigia in cantico anapaestico, quibus consanguinei miscentur iambici Men. II 3: Hermannus quidem el. d. m. p. 394 sq. adnuente ferme ubique Ritschelio duos inserebat creticos 351 (dim. cr.) et 358 (tetr. cr. cat.), quem conuenientius cum loci illius natura pro quaternario anap. accipi posse (cf. 361—63) Bergkius liberaliter mecum communicauit in colloquio:

Qui mist usui ét plurumum prodést., idemque uersuum genus in scaenae capite restituendum esse:

351. Sine foris sic: ábi. noli operirí: (dim. anap. ac.); quod si recte sensit uir doctissimus, ad irritum reuocatus est senarius 352. superest senarius 356 cum dihaeresi post tertium iambum in diuerbiorum senariis rarissima, ut e duabus tripodiis iamb. ac. consutus uideatur. praeterea Bergkius ind. lect. Hal. 186⅔ p. III adn. [1]) 359. 60 incertiores senarios temptauit. iambicos autem numeros in eiusdem cantici exitu latere 365 sq. suspicor, quos Herm. hoc modo dimensus est:

364. || Omne paratúmst, monom. anap.
365. Vt iussisti átque ut uoluistí: quatern. anap.
Neque tibi || [iam]st úlla mora intus. semisept. anap.

seruata ‚ueteris' lectione praetulerim:

|| Omne paratúmst, ut iussistí quatern. anap.
Atque ut uoluísti, neque tibíst || quatern. ia.
Vlla mora intús. || monom. anap.

E tetrametro bacchiaco ritscheliano Men. 760

Quas si [iam] aútumem omnís, nimis lóngus sermóst.

Bergkius l. l. hunc effecit senarium:

Quas si autumem ómnis, nimis longús sermo s[ié]t.

attamen in tanta bacchiacorum et iambico-bacchiacorum multitudine rectius pro colo iamb. semiquinario cum dimetro bacch. habebitur (cf. II VI § 1b):

Quas si autumem ómnis, nimis lóngus sermóst.

coniunctiuus enim s[ie]t ut non flagitatur ita indicatiuus est (cdd.) non inauditus est, ut opus non sit de tali cogitare:

Quas si autumem ómnis, nimis longús sermo s[í]t.

Improbandum quoque censeo (perinde atque 505Fl, cf. II VI § 1b) capt. 200:

‖ Indigna dígna habenda súnt, erus quae facít.,

quoniam mss. addunt oho hoh, quod 201mo praefixit Fleck., Gepp. quasi extra rhythmum positum peculiari uersu descripsit. octonarium iamb. cum B reconcinnaui:

‖ Indigna dígna habenda súnt, erus quae facít. C. Ohe! Ohé! ‖

Octonariorum iamb. clausulae uice fungi senarium Pseud. 193 animaduerterunt Hermannus el. d. m. p. 187 et Bergkius in ‚philologo gotting.' XVII p. 40. ut et capt. 525 Fleckeisenus: cuius auctoritati nolim cum Gepperto contradicere; nam 530 quoque senarius excipit octonarium, quem seuerius mutauit Ritschelius proll. trin. p. CLXXVIIII sq. monendum tamen est transposita esse, quae 525 in mss. tradita sunt res palamst, quibus non inepte aliquis utatur ad duos uersiculos troch. muniendos insequentium septenariorum troch. (526 sqq.) praenuntios:

525a. ‖ 'Omnis res palamst: penthem. tr. }
525b. Néque de hac re negótiumst, ‖ semisept. tr. } cf. 772 in III V § 1.

Constat in posterioribus potissimum fabulis et a terentiana aetate proximis senarios in canticis saepius usurpatos esse. testis est Cas. IIII 4 pessime habita in palatinis, cuius quam ego ambrosiani (is enim scaenam illam totam bene an male continet, cf. Gepp. de cod. ambr. p. 26) etiam destitutus ope non sine longinquo labore excogitaui restitutionem metricam infra subscribam; Casinam autem posterioribus fabulis adnumerandam esse pro explorato hodie habetur, cf. eos quos laudat Ritschelius parerg. I p. 191 sqq. neque igitur rud. 676b et 77 de grauioribus cum Fleçk. turbis cogitandum. item 194 sq. senariis descripsi II V § 3. mitto alia multa, breuiloquentem enim me chartae faciunt. superest ut Casinae IIII 4 addam restitutionem, cuius si impar uidebor corruptelis non aegre feram: quid enim ad laceras scaenas plautinas redintegrandas e legibus redundaret, quas in hoc libello constitui, experturus hunc locum selegi, quo certius edocerer quid minus probe in re metrica plautina expediuissem; etenim palimpsesti membranis, si tandem aliquando quibus rebus a uulgata lectione in Casina discrepent aut Ritschelius aut Geppertus ceteros docuerint, spero me multifariam iri correctum.

1. ‖ A. Sensim supér limen pedés attolle, [⏑́] noua nupta. ‖ sept. ia.
2. Sospes iter íncipe hoc, ut uiró tuo semper sís superstes, ‖ „
3. Atque ut potiór pollentia sís uincasque uirúm uictrixque siés, ‖ oct. anap.


Superetque tuum ímperium, uir té nestiat, tu uírum despolies; || sept. anap.
[Noctuque] et díu ut uiro subdolá sis, opsecró, memento. || sept. ia.
O.[Malo] maxumó suo hercle ilicó-, ubi tantillúm' peccassit. || „
S.[Tace], [Olympió]. O.Non taceo. S.Quaé res? O. Mala malaé male monstrant. || „
S. [Facies] hanc rém mi ex parata ínparatám. || penth. ia. + dim. ba. (cf. II VI § 1b)
Id quaerúnt, uolunt, haéc ut inſécta faciánt. || tetr. bacch.
A. Age, Olympió, quando uis, úxorem accipe hánc a nobis. sept. iamb.
S. Date ergó, daturaé || { dim. bacch.
Si umquam estis hódie uxorem. { semisept. ia.
O. Abite íntro. A. Amabo, íntegrae atque || ínperitae huíc tetr. bacch.
Inpercitó. S. Futurumst. semisept. ia.
A. Vale. S. Ite, || iám ualete. „
Iamne apscéssit uxór? O Domist, né time. S. Euáx. || tetr. ba.
Nunc pol demum égo sum liber. semisept. ia.
Meum córculum, méleulum, || uérculum. O. Heus, tú! tetr. ba.
Malo, si sapís, cauebis. semisept. ia.
Meast haéc. S. Scio, || sét meus frúctus prior ést. tetr. ba.
O. Tene hanc lámpadem. S. Imó-ego hanc tenébo. || (cf. II VI § 1a) dim. ba. + penth. iamb.
Venus multipoténs, bona multa mihí || quatern. anap.
Dedisti, húius quom cópiam míhi dedistí. || tetr. ba.
Corpusculúm molliculum. { semisept. ia.
O. Mea uxórcula. — —́ || { (dim. bac. ac.)
S. Quid est? C Insístit plantam, { semisept. ia.
Quasi Luca bó[s]. ⏑ — ⏑ || { („)
S. Nebula haud est móllis [acque] atque húius [corpus] ést. || senar. ia.
O. Edepol papíllam bellulam. heí misero mihí. || „
S. Quid est? O. Pectus míhi agit non cubitó ⏑ — ⏑ —́ || (senar. ia.)
S. Quid tu ergo hanc, quaéso, tractas tám ⏑ — ⏑ —́ ? || („)
At mihi, qui bélle hanc tracto, nón ⏑ — ⏑ —́ . („)
O. Vah. (||) S. Quid negótist? O. Opsecro, út ualentulást. || „
Paene exposíuit cubito. S. Cúbitum ergo ire nólt. || „
O. Quin imus érgo? S. [J] belle, béllula muliér. || „

1. aliter redintegrare nescii; cdd. attolle inserunt ante limen contra usum. [tu] uel [mea] uel simile excidit.—5. 6. 7. 8 lacunosi sunt in fronte: Noctuque (suppletum e Nonio p. 98, 25), [Malo], [Tace] ab aliis antiquitus adduntur; ego 7 propter metrum praeterea c. g. addidi [Olympio] ante personae (Olymp.) notam omissum. — 6. cdd. aut tantulum (‚uct.' pall. 4. 6) aut tantillum (pall. 1—3), quod praetuli: cf. rud. 1150 ‚Si hercle tantillum peccassis'. — 8. [Facies] inserui propter sententiarum nexum; inserebatur uulgo [Perii! istae facient] absurde: nam Stalino hortatur Olympionem (ergo: Facies), ne ceremoniam interrumpendo sibi (Stalinoni) rem paratam imparatam (cf. de his u. 8) faciat, quippe quod et ipsae ancillae ante omnia cupiant. — 15 Bergkii debetur ingenio (cdd. bis ualete), qui personarum notas simul immutauit. e qua coniectura benignissime mecum in colloquio communicata cum uicinorum quoque restitutio metrica pendeat, meam de eo loco sententiam a uiro illustrissimo discrepantem nec magis certam reticendam duxi, dum palimpsesti copia aperiretur. — 20. mss. est prior, transp. Bothius. — 21. hanc Prisc. VII 53; cf. Guilelmum Corssenium de eloc. uocal. etc. II p. 228; pall. plerumque iam. — 22. bona multa conieci, cdd. bonamuitam; nam ‚bonam uitam dare' insolentius dictum est; nec leuissimam hanc mutationem nouassem, nisi Pers. 734, ubi palatini: Bonam uitam feci, ambrosianus corrigeret ‚Bona multa effeci', quod nescio cur Ritschelius repudiauerit. — 25. incipiunt lacunae in exitu uersuum 24+25. 26+27. 28. 30. 31. 32, quas uario modo licuit supplere: 25. aut exclamatio Olympionis intercidit aut Stalinonis uerborum initium. 27. cdd. quasi iocabo sensu nullo. sed primum per se facile apparet de-

esse ad dolorem depingendum descriptionem aliquam plantae uel impetus, quem fecerat Casina: pedum autem elephantorum uis iam plautino tempore sermone fuit tritissima (cf. mil. 25 sq., ubi bracchium i. e. alter ex anterioribus elephanti pedibus opponitur femori u. 27, sicut bracchia -pro pedibus anterioribus- aliis quoque bestiis tribuuntur, cf. Forcellinium in lex. lat. s. h. u. in primis Plin. nat. hist. XI 37,86, ubi femina leonis itidem consociantur cum bacchiis). itaque e palatinorum lectione (quasi iocabo) erui: quasi Luca bo[s] (i. e. ‚quasi elephas'), quod Olympioni reddendum est. quam coniecturam eo incertiorem esse concèdo, quia intercidisse uersus exitum docet mutilum metrum. de Luca boue autem cf. iam Naenium apud Varr. de ling. lat. p. 325S=VII § 39M (apud Ernestum Klussmannum ‚Cn. Naeu. uit. carm. rell. etc.' p. 77) et quos laudant lexicographi. in fine uersus 27 exciderunt aut non nulla Olympionis uerba Lucae bouis notionem amplificantia aut-quod magis placet-initium uerborum Stalinonis, uelut ‚quasi Luca bó[s sit]. S. [Nugas.]' aut ‚quasi Luca bó[s.] S. Tacesne?' aut similia 26 autem insistit scripsi suadente Bergkio propter metrum pro institit ambrosianum expectaturus. — 28 et [aeque] ante atque et [corpus] addidi cum ueteribus: pal. 1 a manu recentiore est corpus. — 30. emendabatur praue nunc pro non; deest notio fortior cubito opposita; unde Pareus: [sed genu] (not. critic. p. 95): nec tamen quo iure cubito hic genu opponi possit, elucet. permulta cuiuis in mentem uenient non inepte dicta: uelut ‚non cubitó set sublicá' uel ‚— set roboré' uel ‚— uerum trabé' uel ‚— uerum sudé'; nisi fortasse Ergasili uerborum capt. IIII 2,16 = 796Fl sq. memor ‚Nam meus est ballista pugnus, cubitus catapultast mihi, Humerus aries', quocum conferatur arietare pro pulsare (fores) ὑπερβολικῶς apud comicos usurpatum, de ariete maluerit quispiam cogitare; quibus tamen omnibus anteponerem propter elephanti comparationem etiam continuatam: ‚non cubito [át proboscidé]', nisi displiceret at pro set uel uerum. — in fine 31 excidit aliqua dictio ‚duri' notionem exprimens: nec tamen [proteruitér] aut [procacitér] aut aliud quidquam ausim restituere. — ad uersus 32 sententiam deest [pectus ferít] uel simile. quid re uera interciderit, diuinando adsequi non licet, cum ne de interlocutore quidem satis constet. — 35 cdd: bella bellatula, pall. 1. 2 addunt in fine mulier, unde [I]belle bellula mulier dubitanter conieci coll. asin. 676 ‚i sane bella belle'. —

§ 2.

IAMBICIS OCTONARIIS



totae scaenae componuntur; nec non hinc illinc in canticis ei occurrunt: cf. huius libelli caput tertium. exortum autem esse hoc metrum e duobus quaternariis e syllabae ancipitis post pedem quartum licentia apparet, nec tamen purus semper iambus in illa quarta sede reperitur neque dihaeresis constanter obseruatur.


IAMBICORVM SEPTENARIORVM



etiam frequentior (cf. iam Varro ap. Diomed. III c. 34 = p. 499G = ap. Rufin. p. 378 et Mar. Victorin. p. 172G) quam octonariorum usus est cum dispersorum per cantica tum per totas scaenas perpetuatorum. dihaeresis post

pedem quartum et in eadem sede purus iambus religiosius obtinentur quam in octonariis, ita tamen ut si qui uersus huic legi contradicant, praeter libros nihil temptandum esse censeam.


IAMBICI DIMETRI et ACATALECTI SIVE QVATERNARII et catalectici siue semiseptenarii in canticis saepissime leguntur nec non plures etiam continuantur: cf. Bergkium ind. lect. Hal. 186⅔ p. X adn. [11]):



non numquam octonariis iamb. continuis immiscentur derepente quaternarii cum codicum distinctione ubique seruandi: uelut merc. 134b sq. neque igitur clausularum tantum uice post longiores uersus iamb. funguntur sed eisdem etiam praemittuntur. ergo facere nequeo cum Bothio et Ritschelio Men. 120—22 contra ‚ueteris' auctoritatem dimetrum tetrametris subiungentibus sed cum B restituo:

|| Quando ego tibi áncillas penúm || quatern. ia.
Lanam aurum uéstem purpurám bene praebeó nec quicquam egés, ||
Malo cauébis, si sapís: uirum opseruáre desinés. ||

SEMISEPTENARII IAMBICI



a dimetris anap. cat. propter licentias iambicis concessas ad discernendum saepe difficillimi canticis praesertim iambico-bacchiacis inseruntur aut longiorum uersuum iamb. aduentum praenuntiant uel recessus reuocant memoriam. cum dimetro bacch. passim consociantur.

§ 3.

Sicut trochaico ita iambico quoque penthemimere siue COLO IAMBICO SEMIQVINARIO (siue tripod. ia. cat.)



haud raro utitur Plautus quamquam praeteruiso plerumque ab editoribus. quod uero trochaico condonauit, id cur iambico negare debuit? ac rarius quidem ut et comma illud trochaicum proprio uersu comprehenditur, saepius cum dimetro bacch. (cf. II VI § 1) aut quaternario iamb. componitur (cf. infra) aut duplicatur (cf. II VI § 2).

Proprio uersu circumclusum inseritur primum, ut par est, uersibus bacchiaco-iambicis: most. 876 Vbi aduorsum út eant || (877 || Vocantur—sis || iambico-bacchiacus uidetur in B); aul. II 1, 22:

|| E. Da mi operam, amábo.
M. Tuast, útere: atque ímpera, si quíd uis. || dim. bac. + penth. iamb. (II VI § 1a).

deinde aliis uersibus iamb. et anap. minoribus interponitur: Stich. I 1, = 2cR | Nam nos eius ánimum | et = 8a | Saluaene, amábo? | (cf. II IIII § 4). item Amph. 166 sqq. restitui:

166. Opulento homini hóc seruitus durást, || quat. anap.
167. Hoc magis miser ést diuitis seruós. || „
168a. Noctesque diésque adsiduo semisept. anap.
168b. Satis supérquest, || penth. iamb.


secuntur uersus e dimetro iamb. ac. et penthemimere iamb. compositi (cf. infra): tum qui eos claudant, iterum dimeter anap. cat. et penthemimeres iamb:

172a. || Aequom esse putát, non reputat
172b. Laboris quíd sit. ||

codicibus religiose obsecutus sum. 166 sq. dimetros anap. iam Weisius recognouit. consulto praeterii audaces editorum coniecturas.

Solum etiam tale colon extitisse apud Terentium adelph. IIII 4, 1 auctor est Varro ap. Rufin. de metr. com. p. 2707P = 379G sq. || Discrucior ánimi: ||, a quo per creticos (u. 2) secundum regulam de metrorum consecutione, quam in capite tertio exponemus, transitus fit ad trochaeos (u. 3); quod colon cum defendisset Bentleius in adnot. ad l. l. (cf. id. de metr. ter. schediasm. p. XXXX ed. Vollb.), non debuit cum Hermanno el. d. m. p. 181 et 432 (cf epitom. § 191) neglegere Fleckeisenus.

Coniunguntur deinde singula COLA IAMBICA SEMIQVINARIA CVM singulis QVATERNARIIS IAMB. in scaenis iamb. liberioribus:



quos cum primus inuestigasset F. W. Reizius in aul. II 1, 30—38. III 2, 1—32 et Stich. I 1, 3—6 laudante Hermanno de metr. p. 169 sqq. plures etiam huic metro adscribente, errauisset autem quod posthabita caesura post iambum quartum de senariis iamb. hypercatalectis cogitauit, idem Hermannus, qui interea el. d. m. p. 454 sqq. sotadeos — de quibus nullo modo cogitandum est — constituerat, errorem libere, ut solebat, professus in diurn. antiqu. stud. 1837 p. 758—60 et in Reizii sententiam regressus Stichi uersus I 1, 1—8 metro illo reiziano descripsit, quod tamen pro quaternario iamb. cum monometro iamb. hypercatalecto habere maluit. numerorum genus cognouerunt uu. dd., uerum nomen non inuenerunt. accedit quod ei uersus, quos huc reuocarunt, ad aliud partim metrum pertinent, de quo in proxima paragrapho dicetur. atque ex Stichi quidem uersibus reizianis nullus mihi uidetur probe recognitus praeter quartum (cf. tamen II IIII § 4); sed inest unus in ea scaena (= 7b + 8aR) cum mss. scribendus:

| || Set hic, mea sóror, adsidedúm: multa uolo técum || |

in aul. III 2 plures recte constituti sunt a Reizio et Herm. de metr. p. 171 sqq.: 1—3. 5. 7. 8 (‚miser magis' glossema uidetur insolitae dictionis mollior). 13. 14. 17. 18. 21. 25. 27. 29. 31; de reliquis alio sed cognato metro describendis cf. II IIII § 4.

Cum sola cola iamb. semiquinaria bacchiacis uersibus inseri soleant (cf supra), hos quoque in scaenis iambico-bacchiacis usurpari consentaneum est:

aul. II 1, 31 sqq. iam Herm. l. l. p. 170 e parte recte constituit. non nulla minus probantur, uelut 33 ita instaurandus est:

Set his légibus sí quam dare uis, dúcam. || dim. ba. + penth ia. (cf. II VI § 1a). (secuntur iamb. sept.). alia taceo.

Item in scaenae lacunosae rud. I 3 exordio iambico-bacchiaco tralaticia lectio defendenda est:

185. || Nimio hominum fórtunae minús miserae memorántur, ||, et in eiusdemmodi scaena Bacch. V 2 (= VI 3R) (cf. III VI):

1124. || At pol nitént: hau sordidaé uidentur ámbae. || Lomanus spec. crit. in Pl. et Ter. p. 46 senes hic a meretricibus pro ludibrio haberi ergo non laudari oportere ratus hau aliquo modo ante nitent transponi iussit: obtemperauit Ritschelius; sed cum Herm. in libris acquiescendum puto. Rit. tetrametrum bac. effecit transponendo:

At haut pól nitent: sórdidae ambaé uidentúr.

Amph. 169—71, quos et sequi et praecedere anapaesticos dimetros et cola iamb. semiquinaria supra docuimus, Herm. el. d. m. p. 459 et epitom. § 427 in sotadeos coegit, Fleck. liberius in bacchiacos:

Facto aut dícto adest ópus, quie[tá]tus ne sís.
Dominus díues operís [te] et expérs laborís
Quodquomque eí lubere áccidit pósse retúr:

immo codicum lectio religiose seruanda est:

Quo facto aut dícto adest opús, quietus né sis. quat. + penth. ia.
Ipse dominus díues operis ét laboris éxpers "
Quodquomque homini áccidit lubére, posse rétur. "

rem iam Bothius perspexit, sed reiziano exemplo pellectus pro trimetris iamb. hypercat. eos uu. uenditauit.

Item most. 330 codicibus patrocinatus sum:

|| Iacentis tóllet posteá nos ambos áliquis. ||

uu. dd: ambo (tetr. bacch., cf. III V § 2).

Idem quoque metrum genuinum sine dubio prodit B trin. 255, qui una cum iis uu. qui uicini sunt tam diuersa ne dicam audaci ratione a uu. dd. tractatus est, ut e codicum ipsorum lectione nisi fallor plane integra qui numeri erui possint ante omnia quaerendum sit. incohari autem ab iambicis anapaesticisque 255 sqq. nonam eius cantici partem, e quo illos uersus selegi, mecum constat. hoc illud est cur 254, quem ad praecedentem etiam partem in trochaicos numeros exeuntem pertinere sententiarum nexus coarguit, iambicum esse pernego Raptores pánis et pení. | || praemisso septenario troch. | Cántrices cistéllatrices || núntii renúntii; accedit quod palimpsestus ‚Cantrices—peni' uno eodemque uersu comprehendit, ‚uetus' post cistellatrices nouum uersum incohat. ergo emendandum est:

253. | Cántrices cistéllatrices || quat. tr.
254. Núntii renúntii raptóres panis ét peni. | || sept. tr.

tum demum iambi apparent:

255. | || Fit ipse, dum íllis comis ést, inops amátor. || (item Gepp.) quat. ia. + penth. ia.

quos anapaesticis asperioribus ideoque Pers. 175 sqq. non dissimilibus excipi docet ‚ueteris' distinctio in trinummi canticis ambrosiano aliquanto praestantioris; huius enim diuisionem nihili esse iam inde perspicitur, quod in uersibus extremis noui orationis articuli raro incohantur. neque igitur ut Gepperti trochaeis aut Fritzschii baccheis adsentiar etsi ingeniose reconcinnatis adduci possum, sed minorem quam uulgo creditur labem libros nostros traxisse pro explorato habeo.

trin. denique 284, quem Rit. pro cretico tetrametro cat. (eodem metro idem bene constituit cum mss. 279. 283) habuit:

Málus bonum málum esse uolt, út sit sui símilis;

(súi ut[i] sit símilis id. proll. trin. p. CCCXV, símilis ut sít sui frustra maluerunt alii), impurorum creticorum abundantia offendit. iambici igitur numeri instaurandi sunt ei loco aptissimi:

|| | Malus boním malum esse nólt, ut sit sui símilis; | || quatern. + penth. ia.

repudiata tralaticia diuisione Theophilus Roeperus uir doctissimus in ‚phil. gott.' XVII p. 238 e 283 sq. dimetrum cret. extorsit cum octonario troch. parum eleganti:

| || Nóui ego hoc saéculum,
Móribus quibus sit; | || málus bonum malum ésse uolt, ut sít sui similis. | ||

ADNECTITVR etiam TRIPODIA IAMB. CAT. TRIPODIAE IAMB. AC. in scaenis iamb. liberioribus:



quod schema caueas ne pro trimetro iamb. cat. accipias, siquidem et purus semper est pes tertius et caesura excipitur: exempla praebet Stich. I 1: A semel seiunctos exhibet = 8a + bR:

| Phil. Loqui de ré uiri. |
Pin. Saluaene, amábo? |, bis coniunctos:

= 12 + 13aR: | Ciuibus ex ómnibus probus perhibétur, |

et = 13b + 14R: Eum nunc ímprobi uiri officio úti: | ita enim hos uersus cum mss. restituendos esse praeclare uidit Bergkius in diurn. antiqu. stud. 1850 p. 339.

§ 4.

DE DIMETRO IAMBICO CATALECTICO CVM SYNCOPA POST SECVNDI IAMBI ARSIN.

Stich. I 1 scaenae difficillimae initium Hermannus primum cum Reizio uersibus e quaternario et penthemimere iamb. compositis (cf. II IIII § 3) descripsit, mox in ‚elementis' sotadeis, postremo in diurn. antiqu. stud. 1837

iterum reizianis illis uersibus, Ritschelius in epistula ad Herm. ibid. p. 756 sqq. tetrametris et dimetris bac. ac., post in editione reizianis uersibus, Geppertus de cod. ambros. p. 93 (cf. de eloc. lat. etc. p. 56. 119 sq.) non sine artificiis prosodiacis anapaesticis. quibus cum a libris nimium recedendum fuisset, Bergkius in diurn. antiqu. stud. 1850 p. 338 sq. Stich. 3—5 ita dimensus est:

De nostris fáctis noscimús, quarum uiri hínc ápsúnt,
Quorumque nós negotiís apsentium íta ut aéquómst,
Sollicitae nócteis et diés, soror, sumús sémpér.

addidit in ind. lect. Hal. 186$\frac{2}{3}$ p. IIII adn. 2) uersiculum ap. Fest. p. 284M:

Non te petó, piscem petó. Quid me fugís, Gálle?

uoluit autem his uersibus integrorum tetrametrorum iamb. acat. esse uim, ita ut ultimi pedes spondiaci per τονῆς artificium dipodiarum iambicarum acat. mensuram exaequantes luculenta eius pedis, qui apud Graecos uocatur ὁ ὄρθιος, exempla essent (cf. diurn. antiqu. stud. l. l. p. 339). sed orthius constat ἐκ τετρασήμου ἄρσεως καὶ ὀκτασήμου θέσεως (Aristid. Quintil. p. 37 = Mart. Cap. 195), duodecim igitur non, ut dipodia iamb., sex morarum est; praeterea quid Augusto Rossbachio in doctr. art. rhythm. p. 98 tres non duas syllabas longas orthio cum ueteribus tribuenti opponam cum non habeam, pedes illi bisyllabi in plautinorum uersuum caudis orthii exempla non esse uidentur: ne de propinquo quidem orthii spondeo bisyllabo q. u. μείζων siue διπλοῦς $\overset{4}{\sqcup}$ $\overset{4}{\sqcup}$ cogitari licet, quippe qui octo (cf. Boeckhium de metr. Pind. p. 23) non sex moras complectatur et duorum spondeorum posset saltem extare uicarius, non dipodiae iambicae (⏓ − ⏑ −́) tetrametri acatalecti postremae, quae ne apud Plautum quidem spondeum pro iambo in exitu admisit; posset modo de spondeo cogitari duos μακροὺς τρισήμους χρόνους per ἀγωγήν (⌞ ⌞) complectente, quo tamen artificiosius insolentiusue putari quidquam nequit. accedit quod inueniuntur tales uersus mixti uariatique uersibus e quaternario et colo iamb. semiquinario constantibus; qui cum in catalexin exeant, illos quoque catalectice potius exiisse colligendum est non in ὄρθιον i. e. acatalecte. accedit porro, quod non omnia exempla bergkiana in puros spondeos exeunt: cf. semper, Galle; porro, quod pedis in posteriore uersus parte secundi arsis semper ex una longa constat, — uersus enim secundus aut cum A scribendus ‚Quorumque nós negotiís apsentum, ita ut aéquomst' (penth. iamb. quaternario submissum est; apsentum pro apsentium — ita A — suppeditat B) aut cum B ‚Quorumque nós negotiís apsentum ut ést aéquom' — numquam e duabus breuibus.

Immo hunc in modum istos uersus compositos esse exploratum habeo, ut Graecorum utar παρασημαντικῇ:

⏑ −̀ ⏑ −́ ⏑ −̀ ⏑ −̋ | ⏑ −̀ ⏑ −́ −̀ ⏑, quorum figura ὁλόκληρος foret haec:


⏑ −̀ ⏑ −́ ⏑ −̀ ⏑ −̋ | ⏑ −̀ ⏑ −́ ⏑ −̀ ⏑ ⊼

i. e. e quaternario iambico et dimetro iamb. catalectico cum syncopa post secundi pedis arsin longam monosyllabam. rhythmi lex restituitur arsi illa monosyllaba per τονῆς artificium tres moras exaequante. dignissimum uero est memoria, quod dimetri syncopati pes secundus e puro semper iambo constat, tertiique arsis i. e. quae syllabam per τονὴν amplificatam et productam sequitur prima in duas breues saepe dissoluitur; semper autem post τὸν χρόνον παρεκτεταμένον τρίσημον uox terminatur, syllaba igitur numquam in media uoce supprimitur: ergo nisi suasisset Bergkius, Stich. 1b dimensus non essem: Fuisse Pénélopam,' quod ne nominis proprii quidem licentiis satis excusari uidetur. fortasse durissimi cum Gepperto de eloc. lat. etc. p. 119 anapaestici sunt statuendi, cum praesertim Pinacii quoque sermonem duo monometri anapaestici incohent (6a et b).


Exempla deprehendi permulta, quae cum libris restituta multos uirorum doctorum labores corrigent. extant autem eiusmodi dimetri cat. syncopati non solúm coniuncti cum quaternariis



sed etiam peculiarem uersum efficiunt



et per plures continuantur, nec non — quamquam rarius — cum tripodiis iamb. ac. componuntur:



perinde atque cola quoque iamb. semiquinaria, quorum uice dimetri illi syncopati saepissime funguntur; modo cum quaternariis iamb. modo cum tripodiis iamb. ac. coniuncta modo sola reperiuntur (cf. II IIII § 3). postremo etiam penthemimere iamb. — ut par est — cum dimetris iamb. cat. syncopatis copulantur.

Omnia ea uersuum genera conglomerata sunt in principio scaenae Stich. I 1, cuius metra cum paulo post Plauti aetatem non iam intellegerentur cum iambicis senariis mutata sunt, quorum pars adhuc extat in palatinis (Stich. 48—57, cf. Rit. praef. p. VIIII sq., Bergkius in diurn. antiqu. stud. 1850 p. 335 sq.). omissis igitur omnibus priorum restitutionibus meam proponam in distinguendis uersibus palimpsestum religiose secutus. tota autem scaena e metris iamb. liberioribus constat, admixtis raris anapaesticis, qui scaenam claudunt:

1a.	Phil. Credo ego miserám	monom. anap. (cf. II VII § 2)
1b.	Fuisse Pénélopam,	dim. iamb. cat. syncop.?
1c.	Soror, suo éx ánimo,	„
2a.	Quae tam diú uídua	„
2b.	Viro suó cáruit:	„
2c.	Nam nos eius ánimum	(cf. II IIII § 3). colon iamb semiq.
3.	De nostris fáctis noscimús, quarum uiri hinc ápsunt,	dim. ia. ac. + dim. ia. cat. sync.
4.	Quorumque nós negotiis apsentum, ita ut aéquomst,	dim. ia. ac. + penth. ia.

5.	Sollicitae nócteis et diés, soror, sumús sémper.	dim. ia. ac. + dim. ia. c. sync.
6a.	Pinac. Nostrum officiúm	= 1 dim. an. { monom. anap.
6b.	Nos facere aequómst;	„
6c.	Neque id magís fácimus,	dim. ia. cat. sync.
7a.	Quam nos monét pïetas.	„
7b.	Set hic, mea sóror, adsidedúm: multa uolo técum	dim. ia. ac. + penth. ia.
8a.	Loquí de ré uiri.	(cf. II IIII § 3) { tripod. ia.
8b.	Saluaene, amábo?	penth. ia.
9.	Phil. Spero equidem id ét uolo. set hoc, sorór, crúcior	tripd. ia. + dim. ia. c. sync.
10+11.	Patrem tuúm meumque adeo, unicé qui únus	„
12+13a.	Ciuibus ex ómnibus probus perhibétur,	tripd. ia. + penth. ia. (cf. ibid.)
13b+14.	Eum nunc ínprobi uiri officio úti:	„
15.	Viris qui tántas apsentibús nóstris	penth. ia. + dim. ia. c. sync.
16.	Facit iniuriás inmerito	semisept. anap.
17.	Nosque ab eis ábducere uolt.	„

Simplicius aliquanto aul. III 2, quam Reizius et Hermannus cum maioribus licentiis prosodiacis nec non saepius liberius coniectando in dimetros ia. acat. cum tripodiis iamb. cat. continuos coegerunt, metra iambica uariantur. constant enim 32 uersus primi e quindecim (cf. II IIII § 3) uersibus reizianis (◡ —̀ ◡ —́ ◡ —̀ ◡ —̋ | ◡ —̀ ◡ —́ ◡), quibus pro lubitu mixti sunt septendecim e quaternario iamb. et dimetro iamb. cat. syncopato compositi. qui quomodo cum cdd. mihi uideantur restituendi ut uno contutu perspiciatur, e librorum ordine subscribam:

4. Mihi? Istud mále factum arbitrór, quia non latús fódi.
6. Neque quoi ego de indústria ampliús male plus lubéns fáxim.
9. Set quid tibí, mendice homó, nos tactióst? quaé res?
10. Etiam rogitás? an quia minús quam-aequom erát féci?
11. Sine. at hercle cúm magno maló tuo, si hoc capút séntit.
12. Pol ego hau sció, quid post fuát: tuum nunc capút séntit.
15. Quia uenimus cóctum ad nuptiás. Quid tu, malúm, cúras,
16. Vtrum crudúm[ne] an coctum edím, nisi tu mihí's tútor?
19. Vtinam mea míhi modo auferám, quae ad [te] tulí, sálua.
20. Me hau paenitét, tua ne expetám. Scio, ne docé, nóui.
22. Quid fecimús, quid diximús tibi sequius quám uélles?
23. Etiam rogitás, sceleste homó, qui[ne] angulós ómnis
24. Mearum aedium ét conclauiúm mihi peruiám fácitis?
26 dubium est num correpta potius ultima in tibi in colon semiquinarium excat.
28. Si ad ianuam húc accesserís, nisi iusseró, própius,
30. Scis iam meám sententiám? quo abis? redí rúsum.
32. Mihi nasá iubes, pipuló - hic differam ánte aédis.


9. cdd. nos post tibi, transp. Reizius. — 11 cdd. magno post tuo, transp. Herm. — 16. crudum[ne] conieci pro crudum, cuius structurae (‚utrum - ne — an') exempla capt. 268, Bacch. 500 sq., Poen. sc. ult. supp. u. 32 suppeditauit Holtzius synt. prisc. script. lat. II p. 271 sq. — Reizius in fronte add. [Ego]. — 19. ad [te] tuli conieci pro adtuli, Herm. add. [huc]. — 22. correpta ultima in ‚sequius' purus iambus restituitur. — 23. qui[ne] Herm. de metr. p. 172 sq. — 32. Varroni l. l. VII 103 p. 160M et Nonio

152, 4 (cf. 284, 25)M praetuli librorum plautinorum memoriam. — alia eiusdem uersus exempla passim adnotabo, alia in schedis retinui, cum minoris uideantur momenti.

V.

§ 1.

Vt cretici trochaeis ita iambis respondent BACCHEI, quorum amantissimus est Plautus. atque de ictu in tertia bacchei syllaba ponendo alio loco agam, cum ad plautina cantica ea quaestio non attineat. nobilissimus est TETRAMETER BACCHIACVS ACATALECTVS



e duobus dimetris conflatus. nec tamen multa hiatus aut syllabae ancipitis in medio uersu exempla occurrunt (de Poen. I 2, 31 apud Herm. el. d. m. p. 296 cf. Carolus Lachmannus ad Lucr. p. 388); solent enim ea, quae cum hiatu hodie circumferuntur, in secundo baccheo tenere molossum, ut potius pro penthemimere iambico cum dimetro bacch. ac. sine hiatu habenda sint: qualia nos II VI § 1b tractabimus.

Neglegitur dihaeresis saepe in medio tetrametro: most. 785? 788. 795. 797. 871; merc. 335? 336. 343. 345. 347. 360; aul. II 1, 27; Men. 759. 761. 765. 767. 970; rud. 280 sq. 911; Bacch. 1122. 1125. 1131; capt. 501. 782. 786. 787. 789; Pseud. 254. 258. 581 sq. 593. 1126. 1281 sq. 1316. 1334 sq. (quales constituit Herm. l. l. p. 304); Poen. I 2, 4. 24 — 27. 32 (cf. id. ib. p. 296). 38 sq.; trin. 225 sq. 229; Cas. IIII 4, 18. 23 (cf. p. 24); Amph. 552. 554. 567. 649 sq.; Terent. Andr. 482; nec non ita ut fiat caesura post uerbi compositi praepositionem: most. 786. 873 (cf. Bergkius in diurn. ant. 1855 nr. 37). 875; merc. 346. 348; Men. 756. 768. 967; rud. 204. 907. 915. 917; capt. 783; Pseud. 245. 250. 1105. 1127 (cf. p. 8). 1273; Amph. 173 sq.; trin. 230; Pers. 806; Cas. IIII 4, 13 (cf. p. 24); Terent. Andr. 481. — singulare est, quod in ceteris admodum cautus Ritschelius in tetrametro bacch. hypercatalecto syllabam ultimam per elisionem cum prima proximi uersus syllaba a uocali incipiente coalescere uoluit Pseud. 1315 sq. incertioribus quam e quibus disci quidquam possit.

HEXAMETRI BACCHIACI ACAT.



ubi librorum distinctione confirmantur, admittendi sunt: Amph. 633 (contra L. Spengelium in ‚phil. gotting.' XVII p. 565). 636. 637. 640 (de 634 sq. 638 sq. 641 cf. II vi § 1c); Pers. 497. 500R? at si uirorum doctorum tantum coniecturis prodierunt, ne fallamur sedulo cauendum est: Men. 762 sq.R:

|| Quidnam hoc sít negotí, quod filía || repente éxpetit me, ád se ut irém, ||
Nec quid sít, mihi cértius [príus] facit, || quód uelit quódue accersát. ||

cdd. addunt sic post filia, id post quid; 762fin. exhibent ut ad sese irem, 763 ‚Quid uelit quid me accersat', omittunt [prius]. Bergkius in diurn. antiqu. stud. 1855 nr. 37 p. 762 sq. (cf. idem in ind. lect. Hal. 1862 p. X adn. [15]) maluit:

|| Quidnam hoc sít negotí, quod filía . . . . . . síc || — tetr. bac. ac.
Repente éxpetit mé[d], ut ad sése [ad]irém, || — „
Née quid id sít, mihi cértius facit, || — dim. cr. + penth. tr.
[Quid uelit quid me accersat].

postremum u. metri difficultate commotus ut glossema eiecit senis loquacissimi garrulitati non absurde conuenientem. nunc uiro doctissimo haec placuere:

|| Quidnam hoc sít negotí, — dim. ba.
Quod filia síc || repente — semisept. ia.
'Expetit me, ut ád sese irem. || — quat. troch.
Néc quid id sít, mihi cértius facit, || — dim. cret. + penth. tr.
Quíd uelit [me], quíd me accersat. || — quat. troch.

Item Bacch. 1106—8 tres hexametri ad Hermannum (in edit. Bacch.) referuntur, quos idem olim in el. d. m. p. 415 cum mss. pro septenariis anap. melius acceperat. bacchiacos remouit Fleckeiseni acumen. — item Bacch. 1120. 1, qui Ritschelio debentur, trochaici et bacchiaci (nec non bacchiaco-iambici, cf. II vi § 1a) potius cum B instaurandi sunt. — 1139. 40 item a Rit. constitutos post Lomanum spec. crit. p. 47 A. Spengelius l. l. p. 24 adn. duobus tetrametris bacch. cum quaternariis iamb. alternantibus descripsit cum cdd.

Pseud. 1270R et Fl (de 1264R cf. II v § 4c):

|| Illos ádcubantís potantís amantís cum scortís || reliquí — hex. ba.
Et meum scórtum ibidem, || córdi atque animo ópsequentís. — tetr. ba.

cdd. addunt suo post animo. 1271 impuris baccheis laborat. ergo subtiliter Bergkius de plaut. fab. emendand. p. X sq.:


1270a. || Illos áccubantís potantís amantís
1270b. Cum scortís || reliqui, ét meum scórtum ibidém ||
1271. Corde atque animó suo obsequós.

laudandus iam eo nomine, quod ‚ueteris' diuisionem sedulo tutatus est. singularum enim uocum ad posteriorem proprie uersum pertinentium sed in antecedentis exitu additarum permagna est copia in Pseudolo (cf. statim uu. proximos et supra p. 7). 1271 uero iambi et per se satis suspecti sunt in loco bacchiaco-trochaico (cf. p. 17) et ingeniosa tantum Bergkii coniectura (obsequos pro opsequentis) nituntur. immo quaternarius troch. statuendus est, quales plures in ea scaena supersunt:

|| Córde atque animo suo ópsequentis.


Non minus librorum consensu destitutus Pseud. 1277R et Fl, qui in plures uersiculos cum B dispescendus est.

DIMETRI BACCHIACI ACAT:



tetrametris aut praemittuntur aut immiscentur aut subiunguntur nec non cum colis iamb. multifariam copulantur: cf. II VI § 1. licentiis fruuntur iisdem atque tetrametri.

§ 2.



De TRIMETRIS BACCHIACIS ACATALECTIS contorta est quaestio, quia exempla, quae in editionibus reperiuntur, maxima e parte aliis uersuum generibus tribuenda sunt, neque e paradigmate, quod graecos metricos imitatus Marius Victorinus p. 131G citat, diuinari quidquam potest.

most. 89 (cf. Herm. el. d. m. p. 299) iam Ritschelio displicuit, cf. II VI § 2. — de most. 94 cf. ibidem. — most. 123 sqq. ‚ueteris' finibus uiolatis eiectisque simul et transpositis uocibus ita circumferunt recentiores:

123. || Vt in usúm boni sínt et in spéciem || populó: tetr. bac.
Sibique aút materiaé neparcúnt, || trim. bac.
125. Nec sumptús sibi sumptui ésse ducúnt. || »

postremus u. cui generi adnumerandus sit, II VI § 1a explanabitur. priores duos cum mss. ita emendo:

122. Extollúnt, parant sédulo in fírmitatém, || tetr. bac.
'Et ut in usum bóni et in speciem || quatern. troch.
Populo sínt: sibique aút materiaé neparcúnt, || tetr. bac.

quaternarius troch. 123 inter bacchiacos memoriam reuocat trochaeorum (115. 117 sqq.).nec credo lepida Bergkii opus est mutatione in ind. lect. Hal. 186¾ p. VIII, qui et ipse neglecta ‚ueteris' distinctione alterum uersum e dimetro bacch. et penthemimere iambico conglutinatum esse putauit:

Extollúnt, parant sédulo, in fírmitatém ||
Et in usúm boni sínt et specimen || pópulo.

sensu quidem effecto satis probabili; sed cum et ‚parare alqm. in firmitatem' suo iure dicatur et ‚in speciem alci. esse', nescio an libros scriptos religiose sequi praeferendum sit.

most. 317R: Nunc commíssatum ibo ád Philolachém.

mss: Philolachetem, unde uersus prodibit e dimetro bacch. et tripodia iambica cat. constans (cf. II VI § 1a). similis est 319 (cf. II VI § 1b).

most. 322R: Visne ego te ác tu me[d] ámplectaré?

ut taceam de ingrato auribus rhythmo in talibus trimetris bacch., quales admiserunt recentiores, mss. praebent me. A. Spengelius l. l. p. 26 sq. trochaeos bene recognouit.

most. 331R: D. Madet homó. C. Tun me ais má-ma-maderé? quaternarius uidetur anapaesticus (cf. III v § 2):

‖ D. Madet homo. C. Tun me aís mammamaderé? ‖ ita enim ultimam uocem scribendam esse II vi § 1b adnotabo.

most. 332R: Cedo manúm: nolo equidém te adfligí. quaternarius item est anap:

Cedo manum: nolo équidem te adfligí. (cf. ibid.),

ut most. 344R quoque in suspitionem uocare iam nullus dubitem.

most. 732 a Bergkio ind. lect. Hal. 186⅔ p. VII pro trimetro bacch. habitus aliter dimetiendus est, cf. III v § 2; item eiusdem (ibid. p. IIII) u. Men. 972a Recordétur corde íd, qui nihilí cf. III iiii § 4.

Amph. 179 Ritschelius parerg. I p. 383 [con]queritur pro queritur substituendo in trimetrum bacch. coegit:

Hic qui uérna natúst [con]queritúr.,

eundem Bothius melius in quaternarium troch:

Híc qui uerna nátust, queritur.

Pseud. 1253 sqq. R:

‖ Ita uictu éxcurató -, ita mundítiis dignís, ‖ — tetr. bac.
Ita loco ín festiuó sumus festíue accepti. ‖ — „
1255, Quid opust mé multas ágere ambagés? — trim. bac.
Hoc est ‖ hómini, quam ob rém agat uitám. — „
Hic omnés uoluptatés, omnes uénustates súnt. ‖ — tetr. bac.

locus difficillimus a Ritschelio liberius transformatus est: atque ut ab exitu incipiam, u. 1257, ubi cdd. ante omnes addunt in hoc, impuris abundat baccheis; numeros innumeros inde finxerunt Bothius et Weisius. Bergkius l. l. p. V ut elegantiores efficeret deleuit sunt:

‖ Hic omnés uoluptatés, in hoc ómnes uenerés, ‖

sed aequales formas ‚uoluptates' et ‚uenustates' altera alteram satis tuentur. itaque cum mss. octonarium troch. ponendum esse conicio:

‖ Híc omnes uolúptates, in hóc omnes uenústates sunt. ‖

antecedentium uersuum Bergkius ind. lect. Hal. aest. 1862 p. VII sq., ut librorum magis quam Ritschelius seruaret lectionem, hanc ingeniose excogitauit emendationem:

1252a. ‖ Profecto edepól ego nunc probé — quat. ia.
1252b. Habeo madúlsam: ‖ itaque in locó — „
1254. Festiuo súmus accepti, ‖ — semisept. ia.
1253. Ita uictu éxcurató -, ita magnís munditiís. ‖ — tetr. bac.
1255. Quíd opus est me múltas agere ambáges? hoc est ‖ hómini dignum, | — octon. tr.
1256. Quam ób rem uitam amet. ‖ — penth. tr.

1254 omisit festiue ante accepti, neglexit simul ‚ueteris' distinctionem; qua seruata nescio an eam, quam cognita nondum uiri clarissimi emendatione ipse enucleaueram huius loci restitutionem etiam nunc tenere liceat:

1252. ‖ Profecto édepol ego núnc probe habeó madulsám: ‖ — tetr. bac.
1253. Ita uictu excúrato, ita magnís munditiís, ‖ (cf. II vi § 1b) penth. ia. + dim. bac.

1254a. Itaque in locó festiuo { semisept. ia.
1254b. Sumus festíue accepti. || "
1255. Quíd opus est me múltas agere ambáges? hoc est || hómini dignum, | octon. troch.
1256. Quam ób rem uitam amet. || penth. tr.

1252 habeo madulsam, pro quo substituebatur abeo madulsa, defendit Bergkius in Jahnii annal. phil. nou. 1860 VI p. 382. — 1255 magnopere gauisus sum quod similem atque ego de genuina uocis dignum collocatione Bergkius fecit coniecturam; in palatinis est digni ah, in ambrosiano DIGN — (i. e. dignum). in omnibus autem mss. illud dign(-um) non in 1255 legitur sed in fine 1253 post munditiis, ita tamen ut in A (cf. Ritschelii adnotat. ad 1240) aliquanto a munditiis id diremptum extitisse credendum sit, quo simul non ad u. 1253 nomen adiectiuum pertinere consentaneum fit. praeterea in palimpsesto inuerso ordine collocatos fuisse 1253 et 1254:

Itaque in loco festiuo sumus festino accepti
Ita uictu excurato ita magnis munditiis

— 1254 enim uno non duobus uersibus in A contineri ex undeuiginti uersuum (1240—1255) probabili quam Ritschelius l. l. instituit computatione apparet — ex eius uersus, qui versum 1255 (paginae 400 in A ultimum) praecedit, reliquiis ITAU elucet. unde Bergkius ambrosiani ordine seruato DIGNUM ideo supra (i. e. post uersum proxime antecedentem 1253 ‚munditiis') additum fuisse suspicatur, quia cum totum uersum 1255 satis longum arcti membranarum fines non caperent, ab una uocula nouam paginam exordiri librarius noluerit, inversi autem in palatinis uersuum 1253 et 54 ordinis originem ab aequali initio (ita et itaque) repetendam esse. confiteor me in hoc loco conformando inuersum in A ordinem, quo eleganter usus est Bergkius, primum praeteruidisse: sed ne sic quidem a palatinis recesserim. quamuis enim particulae itaque pro simplici ita usum plautinum non nullis exemplis stabilire conatus sit uir doctissimus (l. l. adn. [10])), tamen cum in anaphora (u. 1253) non itaque sed ita dictum sit, in priore itaque extitisse ueri non est simile; quare Bergkius ipse dubitanter proposuit ita pro itaque:

: ita in loco
Festiuo sumus accepti,
Ita uictu excurato, ita magnis munditiis.

sed offendunt uerbo (sumus accepti) partim praeposita (ita in loco festiuo) partim postposita (ita uictu excurato et ita magnis munditiis) enuntiati membra coordinata interse (per ita) non subordinata. accedit quod corruptelae istius e uocis dignum transpositione subnatae origo non ex ambrosiano petenda uidetur sed ex achetypo α, e quo et A excriptus est et β ‚ueteris' proauus (cf. Ritschelii stemma in proll. trin. p. XXXVII); nam non ex ipsius A prole (quae prorsus ignota est) palatini ducti sunt. immo archetypi, qui 1253 et 54 eodem ordine atque pala-

tini continebat, pagina aliqua desiit in uersum longum 1255 (in eundem pagina palimpsesti 400), cuius ultima uox dignum ne abscissa in insequentis paginae fronte legeretur, supra a scriba addita est, ita tamen ut ambiguitatis euitandae gratia non in eodem uersu dignum scriberetur quo uersus 1254a + b uerba ‚Itaque — accepti' sed paulo etiam superiore:

1253. ITAVICTVEXCVRATOITAMAGNISMVNDITIIS DIGNVM
1254. ITAQVEINLOCOFESTIVOSVMVSFESTIVEACCEPTI
1255. QVIDOPVSESTMEMVLTASAGEREAMBAGESHOCESTHOMINI

ambrosiani autem scriptor oculorum errore propter aequale initium (ITA) 1253. 4 ordinem mutauit; et cum ne ipse quidem totum 1255 uno uersu comprehendere potuisset, uersus 1255 clausulam dignum in eadem linea atque antecedentem uersum scripsit uacuo illo spatio etiam relicto. contra codicis β quisquis fuit scriptor de sententiarum nexu non sollicitus, illud DIGNVM ad utrum (1253 an 1254) pertineret, ambigens cum 1253 falso coniunxit, nota fortasse addita eius dubitationis, e qua quod hodie in palatinis legitur ah pos dign(i) exortum esse suspicor. serpente deinde mendo per codices γ et ε factum est ut 1255 cum 56 aequaturus librarius in B uersus longi 1255 clausulam homini, ut saepius, breuiculo 1256 praefigeret (cf. p. 5).

§ 3.

BACCHIACOS CATALECTICOS cum tantum abesset ut Plauto abiudicarent uu. dd., ut impeditos uersus identidem coniectando in eorum formam cogerent, ante hos duos annos A. Spengelius l. l. p. 12 sq. subtili usus iudicio in suspitionem uocauit, cum non exiguum exemplorum numerum in fabulis ritschelianis admodum dubia codicum fide inniti intellexisset. mox Bergkius in indd. lect. Hal. 1862 p. VIIII—XI et 186⅔ non nullis fabulis accuratius perlustratis partem illorum uersuum ad alia metra egregie digessit, rem ipsam sub incerto reliquit. atque ut a TETRAMETRIS BACCH. CAT. incipiam, fraudi non numquam fuerunt criticis uersus non pauci hoc schemate ⏑ –̀ –́ ⏑ –̀ –̋ | ⏑ –̀ (⏑) –́ – compositi e dimetro bacch. et penthemimere iamb., quos pro tetrametris bacch. catal. (⏑ –̀ –́ ⏑ –̀ –̋ | ⏑ –̀ –́ ⏑⏑ –̀) plerumque habebant, ubi iambici coli syllaba tertia extabat producta. ei omnes II VI § 1 suis metris adsignabuntur. sunt autem e. g. hi:

most. 86, in quo Bergkius ind. lect. Hal. 186⅔ p. VII haesit.

most. 313 uulgo: Aduorsúm ueniri̊ mihi ad Phílolachem. (tetr. ba. cat.); Herm: Phílolach[et]ém probantibus A. Spengelio l. l. p. 13 adn.[3]), Bergkio l. l. p. VI. legendum est: Aduorsúm ueniri mihi ad Philólachem (dim. ba. + penth. iamb.).

Alii meri uidentur tetrametri bacch. cat., quippe quorum pes ultimus iambum exaequet. sed plerique reiciendi sunt:

most. 345R Non mirum aút nouom quíppiam [núnc] facit. in duo cola troch. semiquinaria dirimendum esse iam ab iisdem perspectum est.

most. 731R Vitam cólitis. T. Immó uita antehác erat: cum cuius loci indole cum minime concinat numerus bacchiacus (cf. III v § 2), trochaico-creticus instaurandus est (cf. p. 15).

most. 858—60, 63 sq. Rit. quinque tetrametros bacch. cat. contra libros constituit: nam et uersuum ambitus praeteruidit et uerba transposuit (859. 863) et omisit (863) et addidit (864). idem 861 sq. in tetrametros bacch. ac. contra librorum diuisionem redegit. at cum corruptissimum illud canticum lacunis redundet, ante omnia tralaticia uersuum distinctio munienda est. accedit quod bacchiaci 858—64 ad unum omnes impuris pedibus referti sunt. sed propter arctos qnibus hunc libellum circumscriptum uelim fines in aliam opportunitatem inuitus seposui eam quam non tribus uerbis absoluere licet totius scaenae ualde mutilae restitutionem. illud unum anticipauerim pro explorato euictum de baccheis nullo modo cogitandum esse.

Men. 967 integer in libris est tetrameter ac. cf. Gepperti edit. Men. Berol. 1845 u. 874, Bergk. l. l. p. III.

rud. 194 sqq.: Nam quid habébunt posthác [insigne] ínpii, ||
Si ad hunc módumst honos áput uos || innóxiis?
Nam me sí fecisse || aút parentís sciam
Sceleste, minus [núnc] me miserér. ||

e Fleckeiseni tantum ingenio orti sunt membranis susque deque habitis, quarum lectio facile obtinebitur, dummodo hoc teneatur in fronte uersus 194 extare etiam datis di, quod priori uersui ille adnexuit (cf. II vi § 1b.): fortasse hi numeri ab obliuione uindicandi sunt:

193. Tum hoc mi indecóre-, inique, ínmodesté || penthem. ia. + dim. bac.
Datis di. nám quid habebunt † ˊ ‿ inpií || sen. ia.
195. Posthac, si ad húnc modumst innóxiis honós ||
Aput uós? nam me sí sciam fecísse || dim. ba. + penth. ia. (cf. II vi § 1a).
Aút parentís sceleste, minus mé miserer. || tetr. cret. ac. (cf. III vii).

194. mss. sibi igni; insigne plaudente Fleckeiseno in epist. critic. p. XXVII Otto parum probabiliter; supplici Bergkius, qui eosdem uersus aliter dimensus librorum fidem et ipse longius migrauit ind. lect. Hal. 186⅞ p. VI. Geppertus quam non sine magnis licentiis prosodiacis in editione (1846) proposuerat anapaesticorum et bacchiacorum descriptionem, eam etiam post fleckeisenianam recensionem uidetur fouisse (cf. ad trin. edit. alt. p. 144.).

De Bacch. 20 cf. A. Spengelius l. l. p. 13 adn.[5]), neque quidquam in eiusmodi fragmentis nouandum (ergo 25R sq. quoque

. . . . óppidum . . . .
Neque [id] hau súbditiua árbitror glória essé.


cum Donati cdd. temptandum:

Neque hau súbditiuá
Glória oppidum árbitror.).

Pseud. 1108 A. Spengelius p. 27 probante Bergkio l. l. p. V una cum 1107 (cf. infra) trochaico-cretice dimensus est.

Supersunt paucissima tetrametrorum bacch. cat. exempla Men. 969 et 971 aduersantibus membranis cum Bergkio l. l. p. III sq. uix sollicitanda, cum praesertim in continuato per plures uersus numero bacchiaco Men. 571 sqq. (cf. III v § 2) duo insuper insint (uu. 2 et 5 secundum ‚ueteris' numeros in adnot. Rit. ad 571). ut igitur creticis tetrametris cat. rarius usus est Plautus, ita bacchiacos quoque catalecticos admodum raro uidetur admisisse. —

Si tetrametros bacch. cat. Plauto uindicare non dubitarunt uu. dd., quod dimetros quoque cat. uel qui formam habent eandem DOCHMIOS sibi uisi sunt repperisse mirum non est:



at quidquid de dochmii origine statuendum est, quem ego e tripodia iambica acat. similiter natum esse confido atque baccheum e dipodia iamb. ac., hoc certe constat in dochmiacis systematis bacchiacos apud tragicos graecos apparere ideoque aliquo necessitatis uinculo nexos cum illis esse. sed cum dochmiorum usus tragoediae proprium sit, si a palliata romana absunt uix est quod miremur: in iis igitur locis, in quibus hoc genus latere opinati sunt critici, si a fide librorum non satis habent tutelae, ad alios numeros refugiendum esse subnascitur suspitio: ac primum quidem propter primam syllabam productam non minus commode ad penthemimere trochaica haud pauca digerentur:

ita rud. 230 sq. Fl: Bona spes, ópsecro,
Subuentá || mihi.

cdd: spes bona. et cum tota illa scaena plerumque cretica baccheis careat, rescribendum est:

Spés bona, opsecro, súbuenta || mihi. duo penthem. troch.,

quod genus uersuum in creticis frequentatur. nec uero puri omnes sunt qui secuntur tetrametri cretici ac.; immo 237

'Ampelisca. A. Hém, quis est? P. 'Ego Palaestra sum. ||

dimeter cret. cum colo trochaico semiquinario in libris est, nec dissimile metrum e 232 (cf. p. 20) et 233 (cf. p. 16) enucleare studui.

Alibi e duobus dochmiis unus quaternarius iambicus conformandus est: Bacch. 660 sq. R, a quo loco et dochmii et bacchei plane abhorrent. — ambigere licet de dimetris bacch. cat. Pers. 809. 811 sq. quamquam facili negotio ad tripodias troch. cat. et quaternarios iamb. digerendis. improbandus autem locus maioris momenti: trin. 235. Rit. probante Fritzschio in ind. lect. Rostoch. 1861 p. 6 dimetrum bacch. cat. instituit cum septenario troch.:


235. | || Ita faciam: íta placet.
236. 'Omnium primum | || amóris arteis quemádmodum expediant, éloquar. || |

236 cdd. eloquar praebent post artis, A praeterea se ante expediant; unde profectus Geppertus octonario trochaico praemisit monometrum anapaesticum extrema arsi in duas breues soluta Ita faciam: ita plácet. Lindemannus priorem u. pro tripodia iamb. acat., Bothius pro tripodia iamb. cat. (i. e. ex illius more significandi pro monometro iamb. hypercatalecto) accepit. Fleckeisenus duorum optimorumque codicum consensui obtemperandum arbitratus tetrametrum cret. cat. posuit cum septenario iamb. in mediis iambicis aptissimo:

235. | || Síc faciam. síc placet. ómnium prímum | ||
Amoris ártis eloquár, quem[nam] ad modúm se expediant. | ||,

in quorum secundo sufficiebat quemadmodum, cf. quamobrem pro baccheo in uersibus bacchiacis; 235 sic bis pro ita substituit, quo seruato septenario iambico praemittendus sine dubio est dimeter anapaesticus, cum anapaesticos permultos in eo cantico occurrere constet:

| || Ita faciam, ita plácet: omnium primúm | ||.



HEXAMETRI BACCHIACI CAT. memorabile extat exemplum apud Ritschelium Men. 972:

|| Recordétur, qui súnt nihili, is quíd preti || détur ab súis eris.
[Ignauis improbis uiris.] ||

cdd. praeter diuersam diuisionem: nihili sunt et quid iis et addunt id ante qui. cum 'ignauis inprobis uíris' non ad 'eris' (quod modo praecedit,) attineat sed ad 'iis, qui nihili sunt', Ritschelius totum uersiculum ut insiticium eiecit, Bergkius ind. lect. Hal. 186⅔ p. IIII ante u. 976 transposuit:

Ignauis ímprobis uirís
Haec precia súnt ignauiaé.

at quoniam ad utros spectent illa conuicia dubitari omnino nequit, neque eicienda ea esse neque transponenda immo solutius hoc dicendi genus comico poetae condonandum Bergkius in colloquio mecum consensit; quo fretus cum cdd. correxi:

972a.	|| Recordétur id, quí	dim. bac. ac.
972b.	Níhili sunt, quid eís preci ||	semisept. tr.
973.	Détur ab suís ereis, ignáuis inprobís uiris. ||	sept. tr.

Similiter Pseud. 1264 Fleckeisenus suadente iam Ritschelio in adnot. ad l. l. uti[er] pro uti substituendo hexametrum cat. finxit:

|| Neque ibi alium álii esse odió nec sermónibus mórologis úti[er]. ||

Bergkius l. l. p. VI anapaesticos restituit (cf. II vi § 1a):

|| Neque ibi esse alis áli odio, neque ibí
Sermonibus mórologis utí. ||

sed cdd. alterum ibi, quod omisit cum Rit. Fleckeisenus, ante neque (nec) ponunt et ante nec sermonibus addunt nec molestum, quod omitti quidem potest sine sententiae institutae detrimento, omitti num fas sit contra libros, ambigi saltem potest. alios nec nimis elegantes numeros descripsit ante eum A. Spengelius l. l. p. 27:

1264a. || Néque ibi esse alium alii ódio nec moléstum nec sermónibus — sept. tr.
1264b. Mórologis úti. || — dim. cr. cat.

in quibus cretici non minus offendunt quam hebes trochaeorum rhythmus. immo si alterum ibi reuera e priore tantum repetitum est, hos iambicos proponam:

1264a. || Neque ibi esse alíum alii odio néc molestum néc sermonibús — oct. ia.
1264b. Morologis úti. || — penth. ia.

iambica enim penthemimere plura extant in uicinia baccheis potissimum aut praefixa aut suffixa, cf. II vi § 1a et b.

Pseud. 1266 sq. R: Dari dápsilis: néc etiam párce promí || uictu[m] céteru[m].
[Nunc] ne quís roget mé. ||

a librorum nec lectione nec distinctione commendantur (cdd. non enim pro nec etiam, uictu cetero, et me roget), qua fulta Bergkius de plaut. fab. emend. p. X sq. coniecit:

Dari dápsilis: nón enim párcipromí. || — tetr bac.
Víctu [de] cétero né quis me roget. || — dim. cret. + penth. tr.

parcipromi ci. Valens Acidalius pro parcepromi. at cretici in mediis bacchiacis minus fortasse placent. membranarum omnium consensus talia suppeditat:

Dari dápsilis: nón enim párcipromí || — tetr. bac.
Víctu cetero. né quis me roget: || — duae tripod. tr. cat.

uerbum substantiuum omissum defendit Bergkius l. l. p. XI.

Pseud. 1107 R correxit A. Spengelius l. l. p. 27.



Neque TRIMETRIS BACCHIACIS CATALEXIN inviderunt critici:

Men. 579 sqq. R: || Sollicitós patronós habent. ||
Datum dénegant, quód datumst:
Lítium pleni, rapaces, | — quat. tr.
Viri fraúdulenti. || — dim. bac.

trimetros bacch. cat. in hac scaena tetrametris bacch. cat. (cf. III v § 2) insigni eo libentius commendarem, si de euanida palimpsesti scriptura certius constaret. improbo uero, quod Bergkius in diurn. antiqu. stud. 1855 nr. 37 eiecto quod datumst tetrametrum effecit bacch. ac:

|| Datum dénegant, lítum pleni, rapacés | ;

idem postea in indd. lect. Hal. 1862 p. VIIII, 186⅔ p. VII sq., quo priorem quoque trimetrum cat. fugeret, datum potius expulit:

|| Sollicitós patronós habent: || dénegant quód datumst, lítum pleni, hexam. bac. ac.
Rapacés, | uiri fraúdulentí, || trim. bac. ac.

litium apud Bergkium typothetae uidetur deberi. sed cum A uersum terminet post rapaces neque a uerbositate huius loci abhorreat iners illa uerborum copia in datum, quod datumst seruata, aduersantibus codicibus nihil nouandum, etsi facile fuerit duabus tripodiis troch. dimetrum cret. subiungere:

|| Sóllicitos patronós habent: | || datum
Dénegant quód datumst, .

VI.

§ 1a.

Notum est creticum arcte coniungi cum numero trochaico. iambus autem ut trochaeo ita cretico respondet baccheus. non loquor de obscuriore bacchei origine, neque ad nostram rem refert utrum e dipodia iambica per theseos syncopam natus an ad analogiam tantum iambici numeri libere a Graecis cultus sit. hoc certe patet bacchiacum quemlibet uersum post iambicum legenti permagnam interesse propter theses praecedentes consanguinitatem: quae quantum Planto obuersata sit cum e metrorum in canticis consecutione infra in tertio capite explicanda dilucidius etiam futurum sit ut demonstretur, et creticum rhythmum propemodum aeque ac bacchiacum eademque metri uarietate frequentatum esse monitum iam sit, et trochaicum praesertim penthemimeres cum dimetro cretico conglutinatum creticorum tetrametrorum tenorem facete interrumpere soleat, si similem baccheis parare uarietatem Plautus nesciisset, mirum profecto esset. magis tamen mirum est, quod uirorum doctorum nullus adhuc eam satis perspexit (rem praesensisse uidetur Bentleius ceterum falsus ad Ter. Andr. III 1, 12).

Frequentatur igitur sub iisdem condicionibus quibus uersus ille creticotrochaicus haec forma:

1. ◡ –̀ –́ ◡ –̀ –̋ | ◡ –̀ ◡ –́ ◡

2. ◡ –̀ ◡ –́ ◡ | ◡ –̀ –́ ◡ –̀ –̋

utrumque metrum — saepius illud hoc rarius — inseritur tetrametris bacchiacis, quorum uice praecipue in iamborum uicinia fungitur. locos permultos ab editoribus frustra coniecturis uitiatos in pristinum integrumque nitorem restituere meum iam esto:

Incipere autem placet a DIMETRO BACCHIACO ACAT. CVM PENTHEMIMERE IAMBICO:



ut in uersu e dimetro cret. et colo troch. semiquinario consuto (quod et in tetrametris cret. fieri solet) obseruatur plerumque dihaeresis post creticum alterum non numquam delitescit, ita cum etiam tetrameter bacchiacus dihaeresin modo teneat modo respuat, in nostro quoque uersu plerumque eam postulari passim neglegi consentaneum est.

Correxi cum libris, nisi aliud addidero:

most. 314: Volo témperi. audi: hém, tibi imperátumst.

(cf. u. 313 p. 38). Herm: tibi est ímperatúm.

most. 790: Heus tu, sí uoles, uérbum hoc cogitáre, Rit: hoc uerbum.

most. 792: Ego hic ésse et illí simitu hau pótui.

Rit. primum in proll. trin. p. CXXXXIII adn.: pot[i]uí, postea plaudente Bergkio: simitú[r] hau potuí.

most. 798: Vt istás remittát sibi. T. Haut opínor.

Rit. post haut cunctanter inseruit [hercle] uel [aequom] uel cum Fleck. [equidem].

merc. 337: Satin quícquid est, quam rem-agere óccépi, addebatur [si] ante quam, [ego] post rem.

aul. II 1, 1: Velim te árbitrarí me haec uerba, fráter,

Herm. el. d. m. p. 307: me[d]; quam formam ut uitaret, Franc. Vmpfenbachius Gissensis meletemat. plautin. 1860 p. 39 integrum tetrametrum bacch. effici posse hunc in modum:

Velim te árbitrarí[er] me haec uérba, fratér,

sibi non aliis persuasit: paenultimam enim (— ri —) uocis arbitrari[er] correptam constanter usurpari non productam pueruli sciunt.

aul. II 1, 6, sq: || Nec mutám profectó repertam ullam ésse ||
Hodie dicúnt mulierem ullo in saéclo. || duo penth. ia.

Herm. spreta ‚ueteris' distributione et eiecto mulierem tetrametrum cum dimetro bacch. descripsit.

aul. II 1, 33: Set his légibus sí quam dare uis, dúcam. ||

tali enim metro hunc uersum compositum esse magis etiam ex iis patebit, quae de metrorum consecutione disputabuntur III iii § 2.

rud. 196: || Aput nós? nam me sí sciam fecísse || cf. p. 39.

Bacch. 618: || Inimicós quam amicós aequomst me habére, ||

Herm: mé[d] uel aequom mést, Fleck: habere aéquiust mé adstipulante Vmpfenbachio melet. plaut. p. 41.

Bacch. 1121c: || Nam, amabó, quis has húc ouis adégit? ||

uersuum enim ambitus in B obtinendi sunt (cf. p. 34).

Bacch. 1128: Pol hodie áltera iam bís detonsa cértost.

Rit. parerg. I p. 405 add: [haec] ante iam.

capt. 788: Set Ergásilus estne híc, procul quem uídeo?

Fl. add: [ire] post quem, Geppertus Ter. adelph. III 3, 84 memor hoc etiam ausus est: Set [illíc], procul quém uideo, estne híc Ergasilús?

Poen. I 2, 33: Sine omní lepore ét sine suauitáte.

Neglegitur caesura uersibus hisce:

most. 86: Argumétaque in péctus multa instítui,

scribebatur instit[i]ui post Reizium; quam formam cum nullam esse pronuntiasset Fleckeisen. mus. rhen. XIIII p. 628, ipse [meum] post pectus inseruit.

most. 125: || Nec sumptús sibi súmptui esse dúcunt.

a Ritschelio pro trimetro bacchiaco nimis onerato sumptus: cf. p. 35.

most. 318: Vbi nós hilari ingénio et lepide accípiet. (Rit: lepido [uictu]).

Pers. 277a + b quo iure huc reuocauerim, III IIII explanabo.

Pseud. 1128a: || | Boni mé uiri paúperant, inprόbi alunt. |

corrigendum esse cum mss. III V § 2 ostendetur: ita enim hunc u. dimetiri magis placet quam hiatu post ultimam uocis inprobi in iambum exeuntis secundum lachmannianum praeceptum constituto integrum describere tetrametrum bacch.

Pseud. 1262: Manu cándida cántharum dulcíferum

Rit. add: [tum] post cantharum, A. Spengel. l. l. p. 27 coni: dulcifer[ul]um; Bergkius ind. lect. Hal. 186⅔ p. VI de nominatiuo cum infinitiuo cogitans praeeunte Bothio manu scriptorum lectionem in anapaesticum quaternarium redegit: Manu' candida cántharū̆ dulciferúm; sed accusatiuus cum infinitiuo, qui insequentis uersus accusatiuis alium et molestum (quos et ipsos Bergkius remouit) insuper munitur, in conciso hoc et abscisso dicendi genere, quo utitur Pseudolus, non absurde seruabitur. pendet etiam aliquo saltem modo e ‚nam (1258, cf. II VI § 2) deis proxumum est': hoc enim ad illud nam, quod solum extat, subaudiendum est ex ijs, quae modo praecedunt ‚Deis proxumum esse arbitror'. —

Incidit caesura post uerbi compositi praepositionem:

merc. 340: Bonum quaé meum cónprimit consílium.,

ubi cum Hermanno et Lachmanno Ritschelius [mihi] inculcauit ante consilium.

most. 783: Nunc hunc haú scio an cónloquar: congrédiar.

circumferebatur adhuc congredi[bo]r. A. Spengelius p. 43 doleo quod penthemimeres troch. et dimetrum cret. cum singulari choriambo in exitu descripsit, quippe quod metrum eo omnino non pertineat: cf. Bergkium in ind. lect. Hal. 186⅔ p. VI sq.

aul. II 1, 22 sq. cum mss. p. 26 reconcinnaui.

Men. 754: Gradum próferam, prógredi properábo.

Bothius cum sqq.: progredi[ri].

Bacch. 1130: Viden límulis, ópsecro, ut intuéntur?

quem tamen Lachmannus ad Lucret. p. 387 cum hiatu post opsecro pro integro tetrametro bacch. sumpsit. Bothius: ‚contuentur'.

Pseud. 1129R: Poplo strénui, míhi damnosi úsui súnt.

damnosi ingeniose sed audacius coniecit Rit. pro improbi (mss.). Geppertus, cui Rit. non persuaserat, in adn. ad trin. ed. alt. p. 161 contempta librorum distinctione maluit:

'Improbi - alunt, | || pópulo strenui míhi improbi sunt úsui. | sept. tr.

sed nihil omnino mutandum est:

|| | Populo strénui, mi ínprobi usuí sunt. |

Contra etiam hiatus et syllaba anceps aliquoties permittuntur in dihaeresi:

Cas. IIII 4, 21 (cf. supra p. 24): O. Tene hanc lámpadem. S. Imó-ego hanc tenébo.

Pseud. 256 hanc lectionem codices plautini commendant:

P. Mánta. B. Omitte. C. Bállio, audi. || quat. tr.
B. Surdus súm, profectó - inanilogístae.

inanilogistae uocantur Pseudolus et Calidorus, quia uterque Ballionem frustra allocuti erant. cunctanter tamen in alterius uersus exitu libris adstipulatus sum uocem hybridam praebentibus, quia et uirorum doctorum et glossarum Labbei p. 257 (in his: inaniloguus; FZ: inanilogus es) obstabat auctoritas, et λογιστής alio sensu apud Graecos usurpatur et hybridarum uocum tantum non ignarus uidetur Plautus (cf. F. G. E. Rostii opusc. plaut. I p. 88 sqq.) ceterum Hermannus el. d. m. p. 306 sq.: inanis logista es, graecae formae nihilo minus uelificatus. quodsi in recentiorum criticorum sententiam abeundum est, qui: inaniloquos es tu (ita subtiliter Rit.), certe neque de grauioribus turbis in his uersibus cogitandum et seruata ‚ueteris' diuisione quaternario troch. tetrameter bacchiacus subiungendus est. maiora uero molitus Rit. totum locum ita conformauit:

255. Mánta. B. Omitte. C. Bállio, audi. || B. Súrdus sum. [C.] Profécto [saeuo's]. oct. tr.
[B.] Inaníloquos [es] tú. dim. ba.

Alibi pro certo definiri nequit, num potius binae tripodiae iambicae cat. (de quibus cf. II VI § 2) sine hiatu describendae sint:

Men. 771: Nisi aut quíd commissí - aut iurgist caússa.

nisi displicet insolentior structura in uersus fronte, quae facili negotio remoueri poterat. Rit: ‚commissumst' et cum Lingio de hiatu etc. p. 31 transp: est caussa iurgi.

most. 317: Nunc comníssatum ibó - ad Philolachétem, cf. p. 35.

fortasse rud. 186, cf. III VII § 2.

alia exempla nunc mitto.

§ 1 b.

Vt in uersibus cretico-trochaicis dimeter creticus aut excipit aut antecedit comma trochaicum, ita hic quoque praecedit plerumque dimeter bacchiacus, interdum uero subicitur:



inseruntur eiusmodi COLA SEMIQVINARIA IAMB. CVM DIMETRIS BACCHIACIS tetrametris bacch. pro lubitu. exempla collegi haec cum mss. a me correcta:

most. 794: TH. Age duc[e] mé. TR. Num moror? TH. Súpsequor té.

Rit. lacunula post Age in B nisus inseruit [i].

most. 870: Si huic imperábo, probe téctum habebó.

Herm. add: [ego] post Si, Rit. praeterea: iam parebo.

most. 891: || P. Oculi dolént. A. Quor? P. Quia fumús molestús[t]. || cf. III III §5.

merc. 357: Iam hinc olim inuítum domo extrúsit ab sé:

Rit. add: [me] post olim.

aul. II 1, 15: Vt tuam rem ego técum hic loquerer fámiliarém.

Cas. IIII 4, 8: cf. p. 24.

Men. 760: Quas si autumem ómnis, nimis lóngus sermóst.

[iam] post si inde a Bothio inserebatur, cf. p. 22 sq.

Men. 772: Set quidquid id ést, iam sciam. atque éccam eampsé (Both. Rit: id quicquid)

Cas. IIII 4, 8 cf. p. 24; rud. 187 cf. III VII [§ 2.]

rud. 190 sq.: Nam hoc mi hau labórist laborem húnc potiri,
Si erga paréntem aut deos me íupiauí.

Fl. in 190 s[i]t labori pro laborist, in 191 me post si transposuit.

capt. 505: || Tandem abii ad praétorem: ibi uíx requieuí, ||

e quo Fleck. senarium finxit (cf. p. 23) addito e proximi uersus capite rogo.

capt. 923: Quom te reducém tuo patri réddiderúnt.

Fleck: [nunc] ante tuo, Gepp: re[d]ducem, cf. tamen 931 reducem.

capt. 926: Quomque hunc conspício in potestáte nostrá

Gepp: conspicor, Fl: [ego] post hunc.

capt. 927: Quomque haec repértast fides fírma nobís

corrigunt frustra huius pro haec.

Pseud. 1253: || Ita uictu excúrato, ita magnís munditiís,

admodum dubium est, num admisso hiatu in dihaeresi pro integro tetrametro bacch. accipiendus sit. eadem plane est Pseud. 1272 condicio:

Set postquam exúrrexi, orant méd ut saltém.

mss: me id pro med, in quo haerens Vmpfenbachius meletem. plautin. p. 35 me eis coniecit; absque id esset, duo cola iamb. semiquinaria (cf. II VI § 2) restitui possent.

Poen. I 2, 2: Nauem et mulierem haec duo cónparató. ||

addebatur in init. [Is], Herm. de metr. p. 204 (cf. el. d. m. p. 295 sqq.) cum Reizio add: [sibi] post duo.

Poen. I 2, 5: Neque umquam sátis hae duae rés ornantúr.

Herm. ibid. cum eodem: istae pro hae.

Poen. I 2, 34: Nisi multa aqua úsque et diu mácerantúr,

[si] interponebatur post nisi.

Amph. 555: Facis, ut tuís nulla aput té fides sít.
Lindemannus comprobante Holtzio: ut[i], Fleck: [tu], ut.

Amph. 651: Patria et proguáti tutantúr, seruantúr:,
quem ἀσυναρτήτως compositum e monometro iamb. hypercatalecto (errauerunt in nuncupatione) et dimetro bacch. iam pronuntiarunt Bothius et Holtzius; addebatur init.[Et].

Pers. 817: ‖ Malum magnúm dem -. P. Vtere, té condonó. ‖
Rit. add: [Iam] ante Vtere, [eo] post Vtere. hunc autem qui proxime deinceps excipit, non bacchiacus est, ut uoluit idem addito [parce misero], sed quaternarius troch. recte a Weisio descriptus insequentiumque trochaicorum 819 sqq. praenuntius.

Interdum caesura uerbi compositi praepositionem a uerbo tamquam segregat:

merc. 338: Proprium nequít mi euenire [íd] quod cupió?
Rit: mihi nequit; [id] Ritschelii auctoritati concessi, quoniam eam correcturam quam ipse mente foueram non probabiliorem esse intellexi.

aut plane euanescit:

rud. 909: Templis reducém plurıma praéda onustúm Fl: templis[que].

item Pseud. 1276R pristinus nitor foede adulteratus est:

Plaudunt pártim: [illi] clámitant me út reuortár. ‖

B: parum, libri nouicii cum C: partim; omisso [illi] uersum effeceris eius de quo modo disseritur generis:

Plaudunt partím: clamitant me út reuortár. ‖

sed ne sic quidem uersus persanatus uidetur, cum quid sibi uelit illud partim minime liqueat: etenim Pseudolus artem suam et gratiam in saltando iactans non partem spectatorum sed ad unum omnes sibi plausum dedisse dicere debuit; nec uero B codicis antiquissimi nos deserit memoria: parum enim tuendum esse conicio hoc sensu: spectatores plausum suum eo manifestant, quod clamant ‚Parum!' i. e. ‚Non satis diu (parum) saltasti, salta amplius'. (= italice ‚da capo!') — similes difficultates in comicis romanis extantes illustrauit Geppertus ad trin. edit. alt. p. 176 sq. — apertum igitur uitium sustuli:

Plaudunt: ‚Parúm!', clamitant me út reuortár. ‖

quod praeterea Rit. aut [in]clamitant corrigendum Fleckeiseno persuasit aut expungendum me, cum clamitare cum accusatiuo non soleat coniungi, id uereor ne subtilius fecerit uir doctissimus, siquidem uerbum simplex clamare saepius accusatiuum regit.

Poen. I 2, 40: ‖ Soror, párce, amabó: dim. bac.
Sat est istúc alios dícere nobis: ‖

Herm. el. d. m. p. 296 sq. eiecto dicere nobis ut glossemate unum extorsit tetrametrum bacch.; grauiora halucinatus est Bothius.

most. 319: Ecquid tibí uideor mámmamaderé?
quem trimetrum bacch. recentiores esse uoluerunt (cf. p. 35). ceterum

cum membranarum consensus et hic et 331 in principio praebeat mamma- non mama-, illud eo magis retinendum esse duxi, cum praesertim 331 mamma- metri necessitate flagitetur: cf. III v § 2.


Hiatus admittitur in caesura:

rud. 193: Tum hoc mi indecóre-, inique, ínmodesté ‖,

nisi duo cola iamb. semiquinaria sine hiatu praeferenda duxeris. Fleck. ut aliquod sane metrum erueret, expunxit inique et proximi initium huic uersui subiunxit; cf. tamen de uu. sqq. p. 39.

§ 1c.


Vt tetrametrorum bacchiacorum uice funguntur uersus e dimetro bacch. et colo iamb. semiquinario consuti, ita hexametris quoque bacch. interdum immisceri VERSVS E TETRAMETRO BACCH. ET COLO IAMB. SEMIQVINARIO CONSTANTES obseruaui: colon autem illud breuiculum aut subsequitur tetrametrum aut antecedit. 1) subsequitur:



Amph. 639: ‖ Noctem unám modo: atque ís repente ábiit a mé - hinc ante lúcem. ‖

'hinc ante lucem' iambicum esse Holtzius perspexit; hiatum autem post tetrametrum ponere magis uisum est probabile quam sine hiatu dimetrum statuere bacch. cum duabus tripodiis iamb. cat.; Herm. el. d. m. p. 298 inseruit [nunc] ante hinc.

2) antecedit:



Amph. 635: ‖ Ita dis est plácitum, uoluptátem ut maerór comes cónsequatúr. ‖

Bothius metrum recte recognouit, nisi quod colon semiquinarium pro monometro hypercatalecto declarauit; Holtzius omisso est monometrum anap. constituit. Hermannus de metris p. 199 sq. (cf. el. d. m. p. 297 sq.) [com]-placitum coniciendo numeros bacchiacos eruit, quibus uersum qui proxime antecedit totum Reizius itidem descripserat, comprobantibus recentioribus (praeter unum Bothium, qui de tetrametro iamb. hypercat. cum insolentiore hiatu perperam cogitabat.):

‖ praequam quód molestúmst.
Ita cuique ést in aetáte hominum cómparatúm, ‖

sed in cdd. comparatum extat inter quoique et est; quam uerborum collocationem qui tueri maluerit, dimetro bacchiaco subiungat dimetrum

iamb. cat. et tripodiam iamb. cat. in plurium tripodiarum iamb. cat. uicinia admodum aptam:

Ita quoique cónparatumst }
In aetate hóminum. ‖ }


nec minimum fulcrum huic descriptioni inde paratur, quod u. 638, quem transponendo aut fuit cum Reizio post mihi aut fuit cum Hermanno el. d. m. l. l. post mei aut mi cum Bothio post fuit bacchiace dimensi sunt uu. dd., eisdem numeris, si libris obtemperamus, incedere uidetur:

‖ Parumpér datast, dúm — dim. bac. ac.
Viri mei míhi potestas — dim. ia. cat.
Videndi fúit. ‖ — penth. ia.

Amph. 641: Plus aegri ex ábitu uiri quam éx aduentú uoluptátis cepí.
Herm. add. [eo] post ex, Fleck. [mei] ante uiri. — etc.

§ 2.

Quodsi cum dimetro bacchiaco coniungi penthemimerès iambicum demonstratum est, quid quod eo usque progressum esse Plautum contendo, ut DVO eodem uersu consueret COLA IAMBICA SEMIQVINARIA, perinde atque duo uulgo consociantur trochaica (cf. p. 16 sq.). noui huius metri exempla affere possum satis multa satis superque ad unum omnia inuitis libris ab editoribus corrupta. nec longa opus est excusatione, quod hoc genus proprie iambicum hic demum tractare satius duxerim, etsi de simplici penthemimere iambico iam II IIII § 3 disseruerim. quod ut facerem, item atque supra in penthemimere trochaico tractando, mouit me hoc quod plerumque insertus inuenitur hic uersus tetrametris bacchiacis uel dimetris bacchiacis cum colo iamb. semiquinario conglutinatis eorumque tamquam uice fungitur. dihaeresis in medio uersu plerumque seruatur, omittitur aliquoties.



paucos locos delibasse sufficiat:

most. 868: Vt adhuc fuít mi, corium esse opórtet:
Rit: [hoc] ante fuit, [ita] ante mihi.

aul. II 1, 2: ‖ Meae fidéï tuaeque réï hoc ‖
Caussa fácere, ut aequómst germanám sororém. ‖ — tetr. bac.

Reizius et Herm. cum recentioribus (e. g. Vmpfenbach. melet. plautin. p. 39) in priore meaï et tuaï distenta in trisyllabas formas accipiebant, quo integer efficeretur tetrameter bacch.

Bacch. 1127: Rerin ter in ánno tu has tonsitári?
in quo supplendo frustra elaborauerunt uu. dd. — Rit. add: [ouis], transp: tu.

contra most. 94 nolim cum hiatu dimetiri: At ego id faciam ésse-ita ut credátis. (duo penth. iamb.) — Herm: ita esse — sed et hic et most. 89 dimetris anapaesticis non dissimiles sunt:

94. At ego id faciam ésse ita ut credatís.
89. Hominem quoius reí, quando natúst,
90. Similem esse árbitrarér simulacrúmque haberé.

(minus placet: Hominem quoiús reĭ, quando nátust, : duo penth. iamb.; Herm. el. d. m. p. 299 trimetrum bacch. posuit). 89 sq. enim nihil pro glossemate habendum est, dummodo Philolachis garrulitati aliquantum condonetur.

Men. 755: Set id quam fácile sit, mi hau sum fálsus.
Rit: mihi [non] sit facile; [non] abundat, siquidem summa in quam particula inest uis.

Dihaeresis delitescit his exemplis:

most. 796: Set maestus ést se hasce uendidísse.
ita pall. et A, cuius lacunula post SE(T) . . eidem casui tribuenda est cui uacuum spatium inter SE et HASCE.

most. 869: Sincerum atque út uotem uerberári.
Rit. add: [id mihi] post ut.

aul. II 1, 7: Hodie dicúnt mulierem nllo in saéclo. (cf. p. 44)

Pseud. 1258 sq. B haec metra tradit:

1258. || Deis próxumum esse árbitror. nam ubi amáns complexust || dim. bac. + dim. ia. cat.?
1259. Amantem, ubi ád labra labella adiúngit, || duo penth. ia.

etsi 1258 non minus commode in dimetrum bac. et quaternarium troch. ab antecedente octonario troch. (1257, cf. p. 36) satis commendatum discerpi possit. spectat autem proxumum ad hoc, quod est in 1255 et 57 (cf. ibid.). at Ritschelius, contra quem iam disputauit Bergkius ind lect. Hal. 186⅞ p. V sq., infinitiuos qui secuntur 1262 sqq. suspensos esse uoluit e [suauitatem], quod ipse coniectura tantum in textum induxit:

1258. || Deis próxumam esse árbitror [suáuitatém]:
1259. 'Vbi amans complexúst || amantem-, úbi labra ad labélla adiungit, ||,


ubi auctore Camerario praeterea labra ad scriptum est pro ad labra. Bergkius ipse de supplendo hunc post proxumum cogitauit:

|| Dis proximum [húnc] esse arbitrór.
Nám ubi amantem amáns complexust, || úbi labra ad labélla adiungit, ||.

Hoc ipso loco ad aliud metrum ultro adducimur compositum e DIMETRO BACCH. ACAT. ET DIMETRO IAMB. CAT., quod chartarum angustiis impeditus paucissimis perstringam, cum propter dihaeresin sedulo obseruatam plurimi eorum uersuum in duas illas genuinas partes facile dissolui possint. non numquam tamen delitescit dihaeresis, nec non dimeter iamb. cat. praecedere potest. haec si tenueris, praesertim in Bacch., Poen., rud. criticorum coniecturae identidem ad irritum cadent.

VII.

§ 1.



: oct. an.

ANAPAESTICOS NVMEROS quamquam linguae latinae accentui non nimis blandientes dici uix potest quantum adamauerit Plautus cum per totas scaenas propagatos tum passim per cantica diffusos. politior autem Terentii ars ab hac licentiarum farragine abhorrens anapaesticos non cum εὐφωνίας detrimento plane aspernata est.

Ac nobilissimus est TETRAMETER et ACATALECTVS siue OCTONARIVS ANAP. et catalecticus. in illo raro absconditur dihaeresis: aul. IIII 9,3; Bacch. 1092. 1097 (a Fleck. bene cum mss. recognitis) etc.

Perdifficile saepe est ad diiudicandum, utrum tetrametros anap. siue acat. siue cat. distinguas an dimetros praesertim in locis systematum instar compositis: ego ambrosiani in distinguendis uersibus auctoris probatissimi constanter muniui memoriam, qui tetrametros et dimetros in systematis anapaesticis promiscue usurpatos fuisse coarguit.

itaque Stich. 313 sqq. paroemiaci anapaestici cum cdd. interrumpuntur tetrametris anap. altero acatalecto (= 319 + 20R) altero catalectico (= 321 + 22R). contra ubi ‚ueteris' testimonio minus certo freti anapaesticis dimetris subito admisceri tetrametros uidemus, utrum genus praeferamus, ambiguum uulgo est:

Pseud. 909 a Ritschelio ita conformatum:

Dedit [hic] || mihi uérba hercle, ut opinór: || malus cum malo stúlte caui. ||,

cum B Malus maiuscula notet, inuersoque ordine tradat uerba mihi, in duos potius semiseptenarios dispescendum esse suspicor:

Dedit || uerba mihi hércle, ut opinor: ||
Malus cum malo stúlte caui. ||

de tetrametro anap. etiam Geppertum cogitasse e libro de eloc. etc. p. 118 colligendum est. Fleck. transponendo uerba mihi et cum malo malus inserendoque [ego] ante opinor octonarium troch. adsecutus est.

nec non Pseud. 1319R:

| Hem, [hercle] hoc égo numquam ratus súm | || fore mi, ut tibi fíerem supplex. | ||,


pro quo Fleck. liberius maluit:

| Hem, [hercle] hoc égo numquam ratus súm | || fore mihi, tibi ut[í] fierem supplex. | ||,

cum A in duos hunc diuellat uersiculos, quos et ipse B maiuscula F(Fore) notat, dubium non est quin duo restituendi sint semiseptenarii anap.:

1319a. | Hem, hoc ego númquam ratus sum | ||
1319b. Fore mi, ut tibi fíerem supplex. | ||

ac nescio an 1324, quem A uno tenore descripsit, in maiuscula S (Sei), quam B praebet, genuina uersuum diuisio lateat in A iam obscurata.



In ANAPAESTICO SEPTENARIO hiatus interdum admittitur in dihaeresi, quippe qui non secus atque octonarius e duobus dimetris natus sit: cf. Pseud. 946 apud Herm. el. d. m. p. 394, (item uidetur legisse Geppertus l. l. p. 118) — quem Ritschelius euitauit addito [tu] —; trin. 836 (cf. infra) etc. raro neglegitur dihaeresis post dimetrum priorem: cf. e. g. trin. 834 (cf. infra); Curc. 141 (in III vII); mil. 1062; Pers. 779, quem Bergkius in diurn. antiqu. stud. 1855 nr. 37 frustra ita correxit: facile antideo, miser[issi]mus; Bacch. 1094 (cum mss.). minime igitur in iis haerendum est, ubi caesura fit post uerbi compositi praepositionem: uelut Pers. 168 a Ritschelio recte cum cdd. constituto; neque ergo in octonario Pers. 782 haerendum fuit: Vehiclum argentí miser eieci, ámisi, neque quam ób rem eieci, habeó. (Rit. deleuit amisi cum Acidalio, add: [iam] ante habeo).

Multae scaenae continuis septenariis, multae aut alternantibus acatalectis et catalecticis tetrametris anap. compositae sunt aut pro lubitu mixtis: uelut in Pers. V 2 initio plane cum membranis reconcinnando septenarii consociantur cum octonariis; item Bacch. IIII 10 (= VI 1R) primum alternant acatalecti (1076. 78. 80?) et catalectici (1077. 79, cf. Ritschel. praef. Bacch. p. XI), tum uero post duos acatalectos 1081 et 82, qui accuratius etiam quam Hermanno el. d. m. p. 415 sq. uisum est cum cdd. conformandi sunt, et unum catalecticum (‖ Aequom — ludum ‖) dimeter sequitur ac. ‖ Nunc — mandaui‖), cui B insequentis septenarii longioris partem priorem subnexuit; exit autem scaena in octonarium (1086), in quo nihil nouandum. item in Bacch. V 1 (= VI 2R) initio laudandus est Fleckeisenus, quod cum Hermanno l. l. p. 414 sq. plerumque fecit, (qui post in editione septenariis totum locum descripsit,) librisque adstipulatus septenarios et octonarios anap. multifariam mixtos posuit (1087—1108, cf. de extremis istis p. 34); debebat tamen ne in 1091 quidem constituendo a librorum fide secedere septenarium (cf. Rit.) tradentibus. — nec non in scaenae proximae V 2 (= VI 3R) parte secunda (1149—1206), quae non solum numerorum sed etiam sententiarum uicissitudine propriam fere scaenam complectitur, anapaesticis septenariis, quos non numquam non sine artificiis per totum locum post Hermannum continuarunt Rit. et Fleck., et octonarii non nulli additi mihi uidentur et dimetri cum cat. tum acat. hoc enim iam nunc uelim praemonere anapaesticis tetrametris continuatis saepissime apud Plautum admisceri dimetros uel singulos uel plures. octonarios autem esse 1151—53 iam Bergkius in ‚philologo gottingensi' XVII p. 53 animaduertit:

1151. ‖ B. Ego ad hunc irátum adgrediar: [sí] possumus nostrós intro inlicere hóc. ‖
S. Meum pensum ego lépide accurabó, quam[quam] odiost mórtem amplexarí. ‖
1153. B. Facito ut faciás. S. Taceas. tu túum facito: ego quod díxi, haud mutabó. ‖

1151 tamen omisso [si], quod Ritschelii coniecturae debetur, in septenarium potius redegerim:

Ego ad hunc irátum adgrediar: póssumus nos hos íntro inlicere hoc. ||

caesura fit in medio uerbo composito pos-sumus, ut par est. 1152 autem haud scio an librorum memória strictius etiam tuenda sit:

S. Meum pensum ego lépide adcurabó. quam odiosumst mórtem amplexarí!,

ita ut alteram uersus dimidiam pro se sola exclamet soror. — praeterea octonarius instaurandus mihi uidetur cum quaternario: 1167 sq. de lacuna ante 1166 noli cogitare:

1166. || B. Sequere hac. N. Eunt éccas tandem próbriperlecebrae et pérsnastrices. || sept. an.
1167. Quid nunc? etiám redditis nobís filios et séruom? an ego || experiór oct. an.
1168. Tecum nim máiorem? P. Abin hinc? || semisept. an.

breuiculo 1168 scriba caudam longioris 1167 praefixit. — dimetrum autem etiam 1158 indagauit Weisius (cf. p. 5); plures porro dimetri unico septenario (1173) interrupti in B non male extant:

1172a. || N. Ni abeas, quamquám tu bella's, || dim. cat.
1172b. Malum tibi magnúm dabo iam. B. Patiár. || dim. ac.
1174. || N. Hei mihi, metuo. B. Híc magis tranquillúst. || „ „

sine lacuna; postremum iterum scite descripsit Weisius; porro:

1179. Omnia, quae cúpio, conmemorás.,

ubi nihil deest ad sententiae institutae integritatem. 1180 autem membranis (nemínem) patrocinandum est. mox iterum duo in B latent: 1184a et b:

|| Quem quidem ego ut nón excruciem, || dim. cat.
Alterum tantum aúri non mereám. || dim. ac.

quinque dimetros anap. cum Ritschelius parerg. I p. 411 adnot. in 1192 sqq. deprehendisse sibi uisus esset, in editione de grauioribus in mss. turbis cogitans totum locum liberius sanauit; sed uereor ne Plautum ipsum non codices Ritschelii ingenium correxerit: tralaticius enim sententiarum nexus admodum tolerabilis uidetur. — postremo plures iterum in B dimetri uno septenario (1200) interrumpuntur:

1199. || Quod mihi erāt, íd me exorat. || dim. cat.
1202. || B. Satin ego istuc hábeo offirmatúm? || dim. ac., ubi nihil deest ad sensum.
1203a. N. Quod semel dixi, (||) hau mutabo. dim. cat.
1203b. B. It dies. ite íntro adcubitum. ||

B post offirmatum (1202) uersum finiri uacuo spatio indicat.

Ceterum cum accentum q. u. prosodiacum rhythmico obstrepere in anapaesticis minus quam aliis uersuum generibus fugerit Plautus (cf. Corssen. de eloc. uoc. et acc. l. l. II p. 464), ubi e lege de metrorum consecutione nihil discitur, perobscura est quaestio, utrum trochaici octonarii an anapaestici sint notandi: rud. I 4 init. in Ampeliscae soliloquio a reliqua huius scaenae parte prorsus dirempto (220—28) circumferuntur octonarii troch. haud inuenusti; attamen cum 225. 226 et 228 non nisi otiosis additamentis in trochaicorum formam redacti sint (de 226 cf. Geppertum de cod. ambr. p. 39 contra Ritschelium in mus. rhen. 1847 p. 146 disputantem), anapaestici octonarii simpliciter restituendi sunt 220—224 (in hiatu se - habent

◡◡ _́ 222 — cf. Gepp. l. l. p. 40 — non magis haerendum est quam in quo - eam ◡◡ _́ 225). 227, septenarii 225 sq. 228. in eandem sententiam uidetur inclinasse Hermannus el. d. m. p. 415.

item in Pseudolo (I 2 + 3, de qua scaena cf. III v § 1), quam in posterioribus fabulis numerandam esse constat, et Rit. et Fleck. uu. 161—68 trochaicos octonarios esse uoluerunt, itemque post tres octonarios iambicos (169—71, quorum alterum octonarium et tertium septenarium cum cdd. recte constituit Weisius) unumque septenarium iamb. (172) rursus trochaicos octonarios 173—181. 183. 4 immixto septenario troch. 182, quem denique rursus excipere iambicos. et reuera uu. 161—64 trochaicos esse puri qui in iis occurrunt trochaei testes sunt, uidentur esse etiam 165—68. 176 sq. 178. 181—84, qui tamen uersus ne nimis inuenustis numeris procederent, a Ritschelio omnes facete quidem, abnuentibus tamen libris scriptis, correcti sunt. (165 omisit uos; 166 face pro facito; 167 transp: uiros summos et rem mihi; 168 celerate pro cito celebrate, omisit mihi). e foeda autem librarii aut malitia aut neglegentia uoculas ad sententiam non necessarias adiectas uerborumque ordinem commutatum esse minus ueri mihi uidetur simile quam anapaesticos potius tetrametros a Plauto positos esse (post trochaicos 161—164) cum iambicis, quos aliquo modo iam Hermanno perspectos fuisse ex el. d. m. p. 415 apparet. secuntur iambici 169—72, quibus fortasse adnumerandus est 173. — 174 sq. cum Rit. legendi sed anapaestico rhythmo reddendi uidentur:

174. Viris cum summís, inclutae amicaé: nunc ego scibo átque hodie experiár,
175. Quae capiti, quaé uentri operam dét, quae suae rei, quaé somno studeát. tum uero:
176. Quam libertám fore mihi credam ét quam uenalem, hódie experiar.
177. Facite hodie ut míhi munera multa húc ab amatoríbus conueniant.
178. Nam nisi penus ánnuos hodie cónuenit, cras populó prostituam uós.

176. Rit. transp: mihi fore libertam, add: [ego] ante hodie, pro quo Bergkius in diurn. antiqu. stud. 1855 nr. 37: ho[ce]die sine [ego]. — 177 Rit: mi hodie ut; hunc uersum Hermannus Sauppius uir illustrissimus quaest. plautin. Gotting. 1858 p. 5 cum ad sententiam superuacaneum esse et singula quibus continetur uerba passim per 178. 228. 181 dispersa occurrere intellexisset, expunxit: sed tam uerboso copiosoque sermone Ballio utitur, ut deleatur propter id ipsum, quia ad sententiam superuacaneus sit, non oporteat; nec uero in singularum uocum repetitione quidquam offensioni est: nam repetuntur modo hodie et conuenire (utrumque et 177 extat et 178); sed alterius uocis (hodie) repetitio ne eiecto quidem u. 177 euitatur, siquidem in 176 quoque hodie legitur. immo uero quod tribus uersibus continuis (176—78) hodie inseritur, id non nihili habendum est suamque adsequitur explicationem a uersu 179, ubi hunc diem iterum ponitur: nam natalem suum celebraturus eo ipso die (hodie) ut diligentius quam alias seruae laborent, poscit Ballio. hoc tamen suo iure adnotauit Sauppius in u. 178 — quem quomodo dimetiri uellet non addidit — librorum plautinorum lectionem fulciendam esse: a qua quod Priscianus V p. 658 et VI p. 713 et Seruius

in Verg. aen. I 703 discrepant, id ita declarandum esse puto, ut numeros minime curantes — hoc iam ex ipsius Prisciani uaria in utroque loco lectione colligendum est — formamque modo masculinam penus respicientes quolibet modo enuntiati condicionalis sententiam explere grammatici studuerint. contra Ritschelius Priscianum secutus u. 178 liberius ita conformauit:

Nám nisi mi annuos cóngeretur pénus, cras populo próstituam uos.

tum uero pergendum est:

179. Natalem scítis mi esse diem húnc: ubi isti sunt, quíbus uos oculi estís,
180. Quibus uitae, quíbus deliciae estís, quibus sauia, mámilla[e] mellitaé?
Maniplatim míhi munerigerulí facite ante aedís iam hic adsint.
Cur égo uestem aúrum atque ea, quibus ést uobis usús, praehibeo? quid mí | ||
Domi nisi malum uóstra operast hodie, ínprob[a]e? uino módo cupidae estis. | ||
Eo uos uostrósque adeo pantíces madefactatís, quom ego sim hic siccús.

iam secuntur uersus iambici. — 179 Rit transp: mi esse hunc diem scitis, Geppertus ad trin. ed. alt. p. 149: mi hunc diem esse scitis, tralaticium ordinem etiam in trochaico tutatus est Corssen. l. l. II p. 459. — 180 Rit. transp: estis, quibus deliciae, deleuit tertium quibus, scripsit ma[m]milla[e] pro mamilla producta prima. — 181 Rit. transp: mihi post iam. maniplatim pro manipulatim ante Iulium Brixium uirum doctissimum de Plaut. et. Ter. prosod. p. 43 iam Weisius temptauerat. — 182 sq. Rit. posthabita codicum (A B) distinctione 182 a Quid mihi incohauit, expunxit in 182 Domi et hodie et estis; anapaestici numeri satis manifesti sunt. — 184 madefactatis et Nonius p. 394, 32M (= 286G et R) testatur et in A fuisse ex eius reliquiis MADEFAC . . . . S conicio, B et editores adhuc omnes: madefacitis, ceteri libri: madefactis.

Porro trin. IIII 1, quam scaenam Ritschelius in ind. lect. Bonn. hibern. a. 1844 = parerg. I p. 543 — 56 sagacissime in habiliores quam antea factum erat trochaicos octonarios redegit, in anapaesticos saltem exire Geppertus de cod. ambr. p. 94 sq. animaduertit plaudente Wagnero in adn. ad uersionem german. trin. p. 80; nec tamen octonarium et septenarium anap. 840 sq. debuit constituere sed quattuor cum palimpsesto dimetros (de palimpsesti diuisione cf. Rit. ind. l. l. p. VIII = parerg. I p. 552), ut scite monuit A. Tittlerus in Fleckeiseni annal. philolog. uol. LXXXIII 1861 p. 144 adn. sq. — sed non solum postremi huius scaenae uersus anapaestici uidentur, sed tota nisi fallor anapaesticis et octonariis et septenariis progreditur: certe longe plurimis earum coniecturarum, quas ad trochaicos suos extorquendos facete excogitauit Ritschelius, dummodo anapaestici asperiores constituantur, carere possumus, simulque nimia in trochaicis, quae etiam tum supererat, prosodiacarum licentiarum farrago euanescet. ac uu. ritscheliani 820. 823. 826. 832. 838 sq. non minus commode anapaestis describentur, in ceteris uero praeter minimas mutationes tralaticia lectio defendenda est. sed ut chartis parcam, non totam scaenam hic subscribam sed eos tantum uersus, in quibus maximas turbas latere uu. dd. putarunt:

824. Atque ego, Neptúne, tibi ante aliós deos gratiasque ágo atque habeo summás.
825. Nam te omnes saéuomque seuerúmque atque auidis móribus conmemoránt.

atque enim in mss. esse cum Ritschelius ipse parerg. I p. 546 sq. commemoret, in adnot. ad h. u. in editione typothetae errore hanc uoculam omissam esse apparet, quae insuper Parei testimonio defenditur; ergo falsus est Geppertus in comment. trin. p. 182.

828. || Atque hanc tuam glóriam iam ante aurībus acceperam et nóbilis aput hominés[t], ||

nobilis (supplenda gloria) aput homines[t] scripsi ‚ueteri', in quo nobilis (ceteri libri: nobiles), fortasse nimium obsecutus; absque quo esset, cum Gepperto et nobiles[t] aput homines sine dubio restituerem.

829. Pauperibus té parcere solitúm, diuites dampnáre atque || domaré.
830. Abi, laudo: scís ordine, ut aequómst, || quat an.

de semiseptenario describendo non deerunt qui cogitent. dimetros autem anap. tetrametris passim admisceri iam supra monitum est.

831. Tractare hominés. hoc dis dignúmst: semper mendícis modesti sínt.

Magis etiam intricata est quaestio, ubi trochaici uersus alternant cum anapaesticis aut saltem libere miscentur. cuius in componendis numeris libertatis etsi et priores fabulae plautinae expertes et exempla in posterioribus perrara sint, tamen ubi inueniuntur non magis est quod miremur quam ubi trochaici alternant cum iambicis (cf. III v § 1), quippe quorum locum teneant anapaestici. unicum repperit Fleck: Pseud. II 1, cf. ibid. addo certum exemplum e Pseud. I 3 uu. 230—42 ductus ea Ritschelii sagacitate, qua in textu septenarios anap. proposuit, in adnotat. autem ad 240 eosdem in trochaicos octonarios redegit; sensit igitur credo uir doctissimus non nullis eorum anapaesticos trochaicos non nullis numeros aptius conuenire. librorum lectionem ubique sedulo tutanti prodibunt et anapaestici septenarii (242 cum B in duos dimetros anap. dispescendus alterum acatalectum alterum catalecticum), et trochaici octonarii, de quibus nullo modo dubitandum esse talia docent uelut 236 et 240; hic enim trochaico septenario non dissimilis uidetur. somniat Vmpfenbachius melet. plautin. p. 29 sq. ne metro quidem ritscheliano recte perspecto. — quod uero Ritschelius Pseud. IIII 1 (905—13) trochaicos posuit anapaesticis mixtos non sine tralaticiae lectionis detrimento in trochaicis (uelut 911 ecc[ill]um pro eccum; 906 transp: uolunt seruatum), id non persuasit Fleckeiseno, qui de corruptelis non minoribus cogitans trochaicos continuauit: immo anapaestici sunt ad unum omnes: 905 enim, 907 et 912 trochaicos apud Rit. non deteriore iure anapaestis dimetiri possumus omnibusque adeo supersedere mutationibus in 906 et 911. ceterum 908 transpositione opus uix est: cf. Geppert. de eloc. etc. p. 118.

§ 2.

QVATERNARII ANAPAESTICI sine dimetri acatalecti



et plures continuantur et semiseptenariis uariantur et longioribus uersibus anapaesticis inseruntur.



SEMISEPTENARII ANAPAESTICI siue dimetri cat. siue paroemiaci non modo singuli quaternarios systematum instar perpetuatos claudunt sed identidem iis immiscentur aut in ipso systematum fine potissimum plures etiam continuantur: uelut Pseud. 1319a et b (cf. p. 52); Stich. 16 et 17 (cf. p. 32), quorum alterum inserto [ui] ante uolt acatalectum esse uoluit Bergkius diurn. antiqu. stud. 1850 p. 340. longioribus interdum anapaesticis interrumpitur paroemiacorum tenor: uelut in exitu scaenae Stich. II 1 = II 2R etc.; item Pseud. 909a et b (cf. p. 52), quibus simillimi mox submittuntur 916 sqq. plane cum cdd. corrigendi.

MONOMETRI ANAPAESTICI  raro occurrunt: duobus continuis quasi unus dimeter efficitur Stich. 6a et b, fortasse 1a et b (cf. p. 31 sq.). item trin. 237a et b ‚uetus', cuius permagna fides in trinummi canticis palimpsesto praeferenda est (cf. p. 4), duos aperte tradidit monometros in aliis uersibus anapaesticis:

| ‖ Numquam amor quemquám ‖
Nisi cupidum hominém | ‖.

Vnici monometri exemplum Men. 366 paulo ante cantici iambico-anapaestici exitum cum B distinxi p. 22.

Neque casu quaternario iambico (365, qualem l. l. restitui) hic monometrum anapaesticum subiunctum extare confido, cum non minus certum quam ab omnibus uiris doctis adhuc praeteruisum sit hoc schema:



i. e. DIMETER IAMB. ACAT. CVM MONOMETRO ANAPAESTICO eodem uersu consociatus. paucis sed certis defungar exemplis et cum membranis accurate a me restitutis:

trin. 247: | ‖ Ibi illa péndentem ferít; iam amplius orát: ‖
Non sat id est máli, ni amplius etiám, | ‖ — quat. anap.

neglecta ‚ueteris' diuisione Rit. tres semiseptenarios troch. constituit:

247. | ‖ 'Ibi illa pendentém ferit.
248. Iam ámplius orat: ‖ nón satis
249. 'Id malist, ni etiam amplius[t], | ‖

auctore autem Gepperto in adn. ad h. l., num A reuera etiam amplius inuerso ordine praebeat, admodum incertum est.

trin. 280: ‖ Patrem tuúm si percolés per pietatém. ‖ |

idem a Rit. in hunc tetrametrum cret. cat. coactus est:

‖ Sí patrem pércoles. túam per pietátem, ‖ |

trin. 239—41: | ‖ Blandiloquentúlus, harpago, mendáx, ‖ — quat. an.
Cuppes, aurárus, elegáns, despoliatór, | ‖ — quat. ia. + monom. an.

avarus

Latebricolarum hóminum corrumptór, ‖ quat. an.
Blandus, inops, célatum indagá(tor.) | ‖

extremi uersus (quaternarii anap.) syllaba ultima cum insequente (242) per numeri continuationem cohaeret, de quo artificio nunc non agam. — at plane idem artificium in eodem uersuum genere latet Men. 351 sqq., quem locum ita restituendum conicio:

‖ Sine foris sic: ábi. nolo operirí: ‖ quat. an.
Intus pará, cura, uidé: quod opust, fiát. ‖ quat ia. + mon. an.
Sternite lectós, incendite odó(res:) ‖

de extremo uersu idem dicendum quod de trin. 241; u. enim 355 (res): ‖ Munditia ínlecebra animóst amantiúm. ‖ ita demum in iambici senarii (cf. 356) formam abibit. liberrime codicum fines migrauerunt Hermannus et cum eo recentiores:

‖ Síne fores síc: abi. dim. cr.
Nolo opperíri: ‖ intus pará, cura, uidé: sen. ia.
Quod opust, fiát. ‖ sternite lectós, quat. an.
Incendite odóres: ‖ munditiés, „
Inlecebra animóst [ea] amantum. ‖ semisept. an.

Stich. 21: | ‖ Fac, quod tibí tuus patér facere minatúr. | ‖
eiecto tuus quaternarius anap. circumfertur.

Stich. 34 sqq. | ‖ PH. An id dolés, soror, quia ílli suum officiúm | ‖
Non colunt, quom tú tuum facis? PI. Ita pól. | ‖ quat. an.

hoc enim a me impetrare non possum ut aduersante librorum AB distinctione tale systema iambicum Ritschelio condonem:

34. | ‖ PA. An id dolés, soror, quiá
35. Illi suum offícium | ‖ non colúnt,
36. Quom tu tuúm facis? PH. Ita pol. | ‖

simillima est uersuum Stich. 43 sqq. condicio: praecedunt anapaesti, secuntur anapaesti. Rit. posthabita ambrosiani et ‚ueteris' distinctione proposuit:

| ‖ Et si illi ímprobi sínt, atque alitér | ‖ nos faciánt tetr. bac.
Quam aequom s[í]t, tam pol | ‖ [nóxiae] né quid magis sít, „ „
Omnibus obníxe opibus | ‖ nostrúm quat. an.
[Nos] officiúm meminisse decét. | ‖ „ „

contra Bergkius in diurn. antiqu. stud. 1850 p. 342 iam eos qui antecedunt uersus perperam diuisos esse ratus tres tetrametros bacchiacos duobus praemisit dimetris anapaesticis:

| ‖ Quam ob rem, sóror, ego hoc té, tametsi es máior, | ‖ moneo, út
Meminerís tuum offícium: | ‖ et si illi ímprobi sínt,
Atque alitér | ‖ nos faciánt, quam aequomst, tám pol | ‖ ne quíd
Magis sit, omníbus obnixe opibús | ‖
Nostrum officiúm meminisse decét. | ‖

sed seruata membranarum memoria scribendum est:

| ‖ Et si illi inprόbi sint atque alitér | ‖ quat. an.
Nos faciant quam aéquomst, tam pol | ‖ semisept. an.
Ne quid magís sit, omnibús obnixe opibús | ‖ quat. ia. + monom. an.
Nostrum officiúm meminisse decét. | ‖ quat. an.

primum horum uersuum iam Geppertus de eloc. etc. p. 120 recte dimensus est, in ceteris falsus. — insequentis uero paroemiaci (R et Fl):

(PI.) Placet: taceo. (PH.). At mémineris facito.

syllaba uerbi memineris ultima correpta in anapaestico uix maiori offensioni Bergkio l. l. p. 343 esse debuit quam correpta ultima in placet; neque igitur trimetro cretico catalectico opus est praemissa anacrusi, quem ille admisit:

Placét: tace. At mémineris fácito.,

quod uersuum genus alibi nusquam detexi.

VIII.

DACTYLICOS VERSVS in ueterioribus scaenicorum romanorum editionibus passim occurrentes cum Hermannus el. d. m. p. 328, epitom. § 296 agnouisset, in iis quas recensuerunt fabulis nusquam admisissent Ritschelius et Fleckeisenus (praeter Ter. Andr. IIII 1, 1 = 625Fl), Fritzschius nuperrime in ind. lect. Rostoch. aest. 1861 p. 3, a filio cum ei persuasum esset trinummi uu. 239—41R e tribus tetrametris dactylicis sequente septenario troch. constare (l. l. p. 4), eius loci uexatissimi hanc proposuit emendationem a librorum fide maxime recedentem (p. 7):

Blándiloquéntulus, hárpago, auárus,
méndax, cúppes, déspoliátor,
bléñnus, inóps, hominúm corrúmptor,
élegans latébricosarum céllarum indagátor [est].

sed ut transpositiones et coniecturae tantum non omnes ingeniosissimae uiro ill. condonentur, non multum a trochaicis discrepant illi uersus. suo autem iure idem de duriusculis bacchiacis desperauit, quos dubitanter posuerat Ritschelius non improbante Fleckeiseno:

| ‖ Blandíloquentulus[t], hárpago, méndax, ‖ cuppés,
Despoliátor, | ‖ latebrícolarum hominúm corrumptór, ‖
Celatum índagatór. | ‖

a transpositionibus coniecturisque igitur Rit. se abstinuit, nisi quod cum Hermanno eiecit auarus elegans (in mss. post cuppes), blandus inops (in mss. ante Celatum). sed omnia cum mss. retineri possunt, dummodo anapaesti et iambi notentur, quales restitui p. 58 sq.

At non solum Plautus uerum etiam Terentius dactylicorum ignarus est. unicus enim Andriae u. IIII 1, 1 = 625Fl:

Hócine crédibile aút memorábile, (tetr. dact. ac.),

quem recentiores omnes probauerunt (cf. Herm. el. d. m. p. 328) Bentleio gloriatur auctore; cdd. addunt est post Hocine. ergo corrigendum est:

Hócinest crédibile aút memorabile,

i. e. dim. cret. + tripd. tr. cat. (cf. p. 15) cum syllaba ancipiti in dihaeresi.

quam rem Hermannum et Fleckeisenum fugisse eo magis mirum est, quod uersum in eadem scaena 635, qui Bentleio non sine additamentis contra cdd. temptatis creticus uidebatur tetrameter ac., e duobus potius colis troch. semiquinariis conglutinatum esse recte intellexerunt (cf. Herm. l. l. p. 209).

Omnino autem cauendum est, ne priscae latinitatis monumentis dactylici numeri inuiti obtrudantur: uelut nuper Vmpfenbachius melet. plautin. p. 8 sq. locum e Varronis satura menippea apud Gellium noct. att. XIII 22 (23) 4 excerptum et uariis medelis a uiris doctis temptatum in dactylicos numeros perperam coegit:

Te 'Anna Perânna,
Pánda[que], Céla, Palés, Neriénes [átque] Minérua,
Fórtuna ác Ceres.

cdd. in uersu altero (omissis -que et atque): TELATO pro Cela; e quibus uestigiis cum Theodorus Mommsenius insolenti Latonis mentione eiecta ingeniose, ut solet uir eximius, eruisset Cela te, Vmpfenbachius omisso illo te coniecturae suam ademit ueri similitatem. sed ut et hoc et uoculas insertas ei concedam, hoc ego concedere nequeo fieri potuisse ut Ceres in secundo hexametri pede aut spondei aut pyrrhichii mensuram exaequaret: quippe qua dictione non nisi iambum effici satis superque notum sit. per quam uero legem hexametrum dactylicum a –́ – –́ ⏑ – incohari licuit!, siquidem altera uocis Ceres syllaba, quidquid in Varronis satura sequebatur, neque ut corriperetur neque ut eliderctur ullis machinis effici potuit? nuperrime Bergkius ind. lect. Hal. 186¾ p. V adn. [2]) te calo pro te Lato eleganter substituto senarios et ipse reconcinnauit:

Te Anna [ac] Peránna, Panda té calo, Palés,
Nerienes [ác] Minerua, Fórtuna ac Cerés.

ea tamen, quae tradita sunt, duorum septenariorum iamb. fragmenta uidentur:

⏑ Te Anna Peránna, Panda † té Lato, Palés, Nerienes,
Minerua, Fórtuna ac Cerés. [⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ⏑].

Te[d] in uersus prioris fronte poni uetat Vmpfenbachius l. l..

CAPUT TERTIUM.

I.

Crebrae numerorum in canticis permutationis caussam cum e concitatiore quam in diuerbiis animorum motu declarandam esse uulgo crederetur, contradixit recte in aliis A. Spengelius l. l. p. 7 sq. ipso cantu modorum uarietatem exigi arbitratus. uellem tamen et is et ceteri uu. dd. hoc tenuissent cantus uarietatem legibus exemptam cogitari omnino non posse:

nihilo minus tam temere adhuc miscentur metra in fabulis plautinis tamque concumulata sine ordine iacent, ut ne unum quidem inuenerim, qui de metrorum consecutione disquisiuerit. cuius leges ut indagarem, operam nauaui tantam quantam per imbecillas inexercitatasque animi uires licuit: operae precium num fuerit indagasse, iudicent alii benigneque ignoscant, si quid in re noua praetermisero.

Placet autem, ut quo denique euadat res uno perspiciatur contutu, totius quaestionis summam non ea qua ego inueni uia sed talem, qualem ad finem usque perducta re repperisse mihi uisus sum, breuiter explanare:

S e u e r i s s i m i s l e g i b u s m e t r o r u m c o n s e c u t i o p l a u t i n a c o e r c e t u r:

1. Rhythmis utitur his: trochaicis iambicis creticis bacchiacis anapaesticis.

2. Proxime ab iambis absunt anapaesti, ita tamen ut propter extensam thesin baccheis propiores sint quam iambi.

3. Vt trochaeis cretici ita bacchei iambis propinqui sunt propter aequalem thesium et arsium consecutionem: itaque et cretico-trochaici et bacchiaco-iambici uersus usurpantur.

4. Plurimum distant interse iambi et trochaei nec non bacchei et cretici propter contrariam thesium et arsium consecutionem: itaque et iambico-trochaici et bacchiaco-cretici et cretico-iambici et bacchiaco-trochaici uersus reiciendi sunt. — ergo suo iure Hermannus el. d. m. p. 208 eos uersus aliter dimetiendos censuit, quos Bentleius ad Ter. Andr. IIII 1, 12 e creticis et clausula iambica compositos esse uoluerat. illos autem cretico-anapaesticos, qui auctore Ritschelio hodie circumferuntur Pers. 758 sq., in quattuor uersiculos (creticos tetrametros 758a et 759a cum semiseptenariis anapaesticis 758b et 759b alternantes) discerpsit iam Hermannus l. l. p. 215 (cf. nos p. 5).

5. Quam igitur in comprehendendis eodem uersu diuersis rhythmis constituit sibi seueritatem, eam non nimis tenax tenuit Plautus etiam in uarii modi uersuum consecutione: ergo neque iambicos proprie secuntur trochaici neque bacchiacos cretici uersus nisi nouae scaenae initio interrupti. quod ubi constituendum sit, e rei metricae contemplatione diiudicandum est. — sed iam magnum apparet discrimen inter fabulas plautinas, nisi egregie fallor, priores et posteriores siue a Terentii aetate proximas: quas enim in illis ualere uidemus leges, eae in his plane negleguntur, ut lepida diuersorum rhythmorum uarietate sensim languescente trochaici cum iambicis in non nullis fabulis libere confundantur; eadem uero condicio cum terentianarum fabularum sit, a Terentii aetate has proxime abfuisse colligendum est, (cf. mox 9.) simulque accuratiorem numerorum consecutionem prioribus potissimum fabulis Plautinis conuenire apparet.

6. E 4. sequeretur etiam neque creticos cum iambicis neque bacchiacos cum trochaicis uersibus consociari posse; sed eo ipso cardine tota res uertitur: pes enim creticus –́ ◡ –̀ ipsa figura transitum adumbrat a trochaeo

–́ ◡ ad iambum ◡ –̀, nec non aliquo saltem modo numerus bacchiacus ◡ –̀ –́ ◡ –̀ –́ ab iambo ◡ –̀ ad trochaeum –́ ◡. hoc si tenueris, facile apparebit eius erroris caussa, quo Priscianus de metr. com. p. 417G bacchiaco rhythmo in Ter. Andr. III 2, 1—4 (= 481—84) non iam intellecto 'trochaico mixto uel confuso cum iambico' usum esse Terentium crediderit. accedit quod creticus apud Graecos modo dipodiae trochaicae (–́ ◡ –̀ ◡, cret: –́ ◡ –̀) modo dipodiae iambicae (◡ –̀ ◡ –́, cret: –̀ ◡ –́) uim habere uidetur. sequitur: creticus propior trochaeo non longe tamen abest ab iambo, baccheus propior iambo non longe abest a trochaeo. hoc uero proprium esse cretici (et bacchei) munus, ut a trochaeo ad iambum transducat, luculentissima testimonia sunt talia: uelut in Persa, quae fabula, si quid e liberiore metrorum consecutione concludi licet, in postremis plautinis habenda est, a quattuor (13—16) trochaicis unicus (17) creticus in tres in A clausularum modo diremptus (duos monometros unum dimetrum circumclaudentes) ad iambicos (18 sqq.) transducit; uersum enim iam 18 producta, ut consentaneum est, ultima in Satin' (pro Satisne, quo opus non est,) iambicum esse Bothius bene perspexit. nec non simillime in Ter. adelph. IIII 4, quae ab iambico (u. 1; cf. p. 27) incipit — iambici praeterea antecedentem scaenam claudunt — per creticum (u. 2) transitus fit ad trochaeos (u. 3). —

7. Vt igitur in fabulis strictioribus legibus adaptatis uariandi cantus gratia eadem scaena iambi cum trochaeis coniungi possent, neue contrarii hi rhythmi asperius confusi contunderentur, immiscuit Plautus ad leniendum transitum baccheos et creticos eum in modum:

incipiunt:	α. iambi	β. iambi	γ. iambi	δ. iambi
secuntur:	bacchei	bacchei	cretici	cretici
secuntur:		cretici		bacchei
claudunt:	trochaei	trochaei	trochaei	trochaei

uel inuerso ordine:

incipiunt:	ε. trochaei	ζ. trochaei	η. trochaei	ϑ. trochaei
secuntur:	cretici	cretici	bacchei	bacchei
secuntur:		bacchei		cretici
claudunt:	iambi	iambi	iambi	iambi

anapaesti ubique iamborum uice fungi possunt. regulam accuratius secuntur ea cantica, in quibus cretici trochaeis, bacchei iambis (β, ζ) sunt propiores, quam in quibus cretici iambis, bacchei trochaeis (δ, ϑ); medium locum tenent: α, γ, ε, η. non pauca cantica ea quam modo exposuimus ratione composita sunt.

8. Subtilior autem elegantiorque uarietas efficitur, ubi uel bacchiacis illis uel creticis ab iambis ad trochaeos uel a trochaeis ad iambos transducentibus, quo simul transitum reuera parari dilucidius etiam appareat, admiscentur uersus, ut ita dicam, alloeometrici (iambici uel trochaici) aut antecedentis rhythmi agmen claudentes aut insequentis praenuntii. inueniuntur igitur e. g. cantica hoc metrorum ordine consuta (cf. supra fig. α):

transitus paratur ab iambis ad trochaeos: incohatur aut ipsum canticum aut scaena quae praecedit composita est iambis — secuntur uersus bacchiaci, quibus antecedentium iamborum quasi cauda subsecina immiscentur uersus iambici — mox post aliquot bacchiacos trochaici uersus insequentium trochaeorum πρόδρομοι — tum rursus bacchiaci — denique trochaici perpetui.

ut paucis exemplis defungar, unum praeterea addidisse sufficiat (cf. fig. ζ): transitus paratur a trochaeis ad iambos: incipiunt trochaei uel cretici, quibus mox immiscentur uersus trochaici — deinde post cretico-trochaicam illam partem bacchiaco-iambica incipit: i. e. uersus bacchiaci insertis iam insequentium iamborum praenuntiis uersibus non nullis iambicis. similia exempla per octo illarum figurarum (α—ϑ) seriem facile quiuis sibi fingat. — uersus uero istos iambicos uel trochaicos creticis uel bacchiacis insertos aut antecedentium aequalium caudas aut insequentium praenuntios ‚alloeometricos' uocari uolui: alloeometrici enim sunt, si e cretico uel bacchiaco rhythmo, homoeometrici contra, si e totius cantici natura atque indole rem contemplatus eris. — monendum denique est — id quod non debile fulcrum meae coniecturae subministrat — in figuris β δ ζ ϑ, in quibus ne cretici cum baccheis i. e. cum rhythmis contrariis (cf. 4.) contundantur uerendum est, baccheos a creticis ita plerumque separatos extare, ut ‚alloeometrici' non nulli (uel unus ‚alloeometricus') uel trochaici uel iambici — prout regula poscit — intercedant. — eo modo plurima cantica plautina composita sunt.

9. Cum uero baccheorum et creticorum nec non anapaestorum usus paulatim eo usque raresceret, ut his nusquam illis rarissime tantum uteretur Terentius, ne diuersorum metrorum consociatione quae effecta fuerat uarietas, ea simul euanesceret, Plautus in posterioribus, nisi fallor, fabulis hanc sibi constituit legem, ut transitum e. g. ab iambis ad trochaeos per canticum instituturus praecedentibus iambicis trochaicos non nullos immisceret quasi ceterorum trochaicorum προδρόμους. Terentius autem hac quoque lege neglecta pro lubitu iambicum numerum cum trochaico miscet. eas ergo fabulas plautinas, in quibus liberiores eiusmodi scaenae insint, si posterioribus adnumerandas esse coniciam, a uero credo non aberrauero.

10. Praeter omnia ea cantica e uariis rhythmis constantia simplicioribus etiam utitur Plautus aut eodem prorsus metro fluentibus aut uariis eiusdem rhythmi uersuum generibus aut propinquorum rhythmorum uersibus (uelut anapaestici et iambici), de quibus iam in altero capite satis dictum est.

Haec fere habui quae praemonerem. quodsi cantica non eodem ordine in sequentibus tractaui, id inuitus feci, quia arctis huius libelli finibus impeditus uix quartam partem eorum, quae de metrorum consecutione plautina congesseram, typothetae exprimendam tradere potui. ideoque longe plurima adumbrata magis nunc legentur quam exposita.

II.

In scaenis accuratius secernendis permagna sunt Ritschelii merita. res tamen metrica aliam describendi rationem commendat, quam non in textum inducere tenere tamen oportet, ubi de metricis disputatur quaestionibus. saepius enim fit, ut in eiusdem scaenae principio unus uel duo interlocutores sed seorsum uterque alio metro utantur, alio in exitu duo interse colloquantur: uelut, ne multa afferam, in Men. II 3 iambico-anapaestico rhythmo, dum sola est, loquitur Erotium (351—68) mox cum Menaechmo trochaico (369 sqq.); non secus fit in capt. III 4, in cuius exordio Hegio et Tyndarus seorsum uterque uerba faciunt; item merc. II 3 cantico in soliloquio utitur Charinus (335—63), idem et Demipho mox (364 sqq.) septenariis; eadem prorsus est Men. V 2 condicio etc. etc.; nec non Pseud. II 2 dum seorsum uerba faciunt Harpax et Pseudolus, anapaesticis numeris (595—603), mox dum collocuntur, trochaicis (604 sqq.) utuntur: anapaesticos enim 595—603 Fleck. recte indagauit, 600 modo in mss. octonarius uidetur iamb., qualis in anapaesticis haud inauditus est.

Item ubi noua persona non prodit sed e pluribus una sola restat uel duae restant sed seorsum locuntur (e. g. Men. V 2 + 3 u. 872), Ritschelius (cf. mus. rhenan. IIII p. 608 sqq.; praef. Pseud. p. X) eandem scaenam continuare solet; e metrica tamen ratione rem contemplanti noua exordiri potest nouisque numeris accommodata: uelut aul. IIII 10, 73 iambicis septenariis loquitur Lyconides, postquam Euclio abiit, quocum antea trochaicis septenariis uerba fecerat; simillime Amph. I 1+2Fl. III 3; Bacch. IIII 4+5; Pseud. I 2—4 (post u. 393); trin. II 2+3. IIII 2 (998 sqq.) etc.

III.

§ 1.

Simplicissimum ab iambis ad trochaeos transeundi genus id est, ubi post scaenam iambicam cretici (aut bacchei) secuntur nullis interrupti uersibus alloeometricis neque iambicis neque trochaicis, creticos (aut baccheos) uero trochaici excipiunt: uelut asinaria post primam scaenam iambicam (16—126) trochaicum habet secundae scaenae exitum (188—52) interpositis undecim creticis (127—37; de 133 cf. III v § 2) et transitum lenientibus.

capt. V 1 iambi in IIII 4 per bacchiacos et bacchiaco-iambicos (922—27) ad trochaeos delabuntur.

item Bacch. V 1 (= VI 2R), nisi quod iamborum locum anapaesti ob-

tinent (cf. III iii § 5): 1087—1108 (cf. p. 53); secuntur cretici 1109—15 (nisi 1115 codicum lectione seruata in duos dirimendus est), claudunt septenarii troch.: 1117—19. non minimam difficultatem uiris doctis praebuit uersus qui interpositus est 1116, quem aut addito [misero] (ita Rit. Fl.) pro tetrametro cret. cat. aut pro anapaestico (ita Herm. in edit.) aut pro trimetro cretico (ita A. Spengelius p. 30 sq.) uenditarunt. sed cum ab anapaesticis rhythmus ad trochaicos statim insequentes descendat, pro dimetro trochaico trochaicorum praenuntio quin iste uersus cum Bothio habendus sit, nullus dubito:

|| P. Quí scis? N. Vidi. P. Hei míhi: disperii. ||

simillima uidetur Pers. V i Toxili soliloquii condicio 753—62: Rit. quidem 753—56 trochaicos octonarios non sine maximis q. u. licentiis prosodiacis esse ratus inde a 757 demum anapaesticos constituit; anapaestice autem 753—56 legendos esse metrorum consecutio coarguit. accedit quod 755 bene aduerbium, quod idem propter metri necessitatem expunxit, seruari potest:

Quom bene nos, Júppiter, iuuistí dique alii omnés caelipotentés,

perinde ac 756, in quo simul transposuit inimicum sum ultus et Eare pro Eas et qui pro quia dedit, meum pronomen:

Eas uobis grátis habeo atque ágo, quia probe sum ultús meum inimicum.

iambos igitur in IIII 9 continuant anapaesti 753—57. 758b. 759b (cf. p. 62) per creticos 758a et 759a ad trochaicos 760—62 delabentes. ceterum posteriorem eius scaenae partem 763—77 e meris anapaesticis et iambicis cum mss. redintegrandis constare contenderim.

§ 2.

Non debilius fulcrum meae de numerorum consecutione coniecturae ab eis canticis succrescit, in quibus ab iambis ad trochaeos transitus fit per baccheos, ita ut antecedentium iamborum ne uno ictu extincta euanescat memoria, bacchiacis (uel, quod per se intellegitur, creticis) uersibus iambici admisceantur.

testis est aul. II i: scaenae quae praecedunt I i et 2 iambicis senariis conscriptae sunt — scaenae II i exitus (39—55) et scaena II 2 trochaicis septenariis — ad quos poeta ita descendit, ut II i, 1—38 aut bacchiaci uersus interponantur aut e baccheis et iambis compositi (cf. II vi § 1. 2) aut iambici (cf. II iii § 3), quorum partem passim supra emendaui. immixti etiam sunt iambicorum uicarii anapaestici; cognoui hos:

|| M. Soror, more tuó facis. E. Facta noló. — quat. an
M. Quid est íd, soror? E. Quód tibi sémpiternúm || — tetr ba.
Salutáre sit líberis prócreandís. — „ „
M. Ita di faxínt. || E. Volo te uxorém domum ducere. M. Hei-óccidi. E. Quid ita? || — sept. an.
M. Quia mihi miseró cerebrum excutiúnt tua dicta, sorór: lapides loquerís. || — oct. an.

u. 25 una cum parte antecedentis Vmpfenbachius l. l. p. 46 uicinorum uersuum ratione habita nulla in septenarium troch. redegit.

Nec non rud. IIII 2 ab iambis in IIII 1 ad octonarios trochaicos 921—37 (920 enim et 921 cum mss., ut et ipse Geppertus sensit, scribendi sunt: 920 sept. troch., 921 oct. troch.*)) transitur per bacchiacos et iambico-bacchiacos immixtis iambis uel anapaestis, de quibus nunc non agam.

Item capt. IIII 2 bacchiacis et bacchiaco-iambicis (cf. p. 47) ab iambis in IIII 1 ad trochaeos transducentibus iambi inseruntur (cf. 784).

§ 3.

In non nullis canticis iambici numeri ad trochaeos per baccheos (uel creticos) desiliunt, quibus alloeometrici trochaeorumque tamquam πρόδρομοι uersus trochaici admiscentur:

Luculentissimum testimonium est merc. II 3 et egregie in B traditum et ingeniose a Ritschelio recognitum: transit enim poeta a senariis iambicis in II 2 ad septenarios trochaicos 364 sqq. ita, ut uersibus bacchiacis et bacchiaco-iambicis 337 sq. 340. 357 (cf. II VI § 1) quinque octonarios trochaicos 341. 356. 359. 362 sq. unumque quaternarium inserat; hunc quidem non detexit Ritschelius, pro certissimo tamen cum cdd. restituendus est:

339. 'Ita mi mala res áliqua obicitur,

Rit. [ex improuiso] exempli caussa addito post mi tetrametrum bacchiacum frustra descripsit.

rud. IIII 3 octonarii iambici (admixto dimetro 940) 938 sq. 941—44 et septenarii 945—48 (uersus 945 ita in libris traditi: G. Caue sis maló: quid tu, malúm, nam me retrahis? T. Audi., cui Geppertus mederi studuit retractas coniciendo, Fleck. [nunc] post nam inserendo, certam medelam credo me inuenisse: G. Caue sis maló: quid tu, malúm, manu me rétrahis? T. Audi.) per uersus creticos 949—51 et e trochaeis creticisque compositos (952—55, cf. p. 13) ad trochaicos octonarios 956—62 et deinceps septenarios 963 sqq. transeunt.

§ 4.

Quam accuratissime uero ea cantica meae regulae conueniunt, quae hunc in modum condita sunt: scaena quae proxime antecedit iambica est — canticum incohant bacchiaci interrupti iambicis, ne antecedentis scaenae

*) Improbo tamen, quod idem Geppertus in adnot. ad trin. ed. alt. p. 146 u. 924 in septenarii formam contra libros scriptos coegit, in quibus sanissimus hic uersus extat: ‚Nám ego nunc mihi, qui ínpiger fui, répperi ut pigér, si uelim, sim'. nec nolo pro uelim opus est substitui (id quod Ritschelii praeceptum postulat proll. trin. p. CXXXXVIIII sqq.). Fleckeisenus u. 924 transponendo sanandum censuit.

memoria extinguatur — secuntur cretici iidem fortasse in principio iambis uariati — tum demum trochaei creticis primum passim admixti mox perpetui scaenam claudunt.

Perspicuum eius structurae exemplum praebet mostellariae scaena e uulgata computatione actus primi secunda siue secundi prima e ritscheliana, tractata ab Hermanno de metr. p. 200 sq., el. d. m. p. 299 optimeque a Ritschelio in edit., nisi quod duplex transitus in ea latet reconditus: ut enim iam ipse sententiarum nexus bipertitus docet, prior eius scaenae pars uersus 85—119, posterior 120—56 amplectitur. sed quamuis descripto toto illo cantico quanto facilius meae coniecturae satis probabilitatis ut parem futurum sit haud ignorem, tamen plerisque ex eius uersibus iam supra passim correctis eos tantum locos perscribere sufficiat, in quorum metro summa omnino posita est:

a) incipiunt tetrametri bacchiaci 85. 87. 88. 89b (cf. p. 51). 91—93. 95—97. 99—101 uariati uno uersu e baccheis et iambis constante 86 (cf. p. 45), duobus anapaesticis? 89a et 94 (cf. p. 51), tribus dimetris iambicis 90. 98. 102, duobus tetrametris iambicis 103 sq., qui simul baccheos ab insequentibus creticis segregant. cretici autem 105 sqq. postrema iambici rhythmi prole, tetrametro iamb. acatalecto (107), interrumpuntur. iam trochaei paulatim praeparantur primum eodem uersu conglutinati cum creticis 108 sq. 111—14 (cf. p. 15). 116, inserto mero tetrametro cretico 110; tum uero iam satis praeparati claudunt trochaici 115. 117—19. Ritschelius quidem 118 non male pro iambico sumpsit, ut iam a 118 altera cantici pars inciperet iambico uersu praecedente, quales secuntur 127 sqq., trochaicoque 119 alloeometrice ut 123 inserto. sed uix haerendum in tali trochaico:

118. Haéc argumenta égo aedificiis díxi: nunc etiám uolo

b) sequitur eodem numerorum ordine instructa altera cantici pars 120—56: exordiuntur rursus bacchei 120—22. 124. 126 trochaico dimetro 123 (cf. p. 35) interrupti trochaeorum agmen claudente et per uersum e baccheis et iambis compositum 125 (cf. p. 45) ad iambicos 127? 128. 132 ducente. unde simul elucet 129—31 in dimetrum bacchiacum et duos septenarios troch. aduersantibus membranis perperam redactos esse; nec tamen in multis corrigendi quae patebant uiis ullam repperi, quam primo aspectu cuiuis plane probatum iri confidere possem. — iam 133 sqq. cretico-trochaici 133—36. 140 (cf. p. 15). 141 et aliquo modo 138 (cf. ibid.) et cretici 137. 139. 142 (cum cdd., cf. A. Spengel. p. 22) rursus interrumpuntur iambicis octonariis 143. 146—48; addo uersum 145, qui trochaicus uidetur septenarius in mediis iambicis inauditus; sed antecedenti tetrametro cretico (144 Núnc simul rés, fides, fáma, uirtús decusque) particulam que non debuerunt inuidere recentiores; cohaerent enim uu. 144 et 145 interse per numeri continuationem, ita ut 144, qui hypercatalectus uidetur, acatalecti tetr. cret., 145, qui septenarius troch. uidetur, octonarii iamb. uim adipiscatur. — denique

post creticos et cretico-trochaicos 149—53 (cf. A. Spengel. p. 43, cui saltem non aduersatur Bergkius in ind. lect. Hal. 186⅔ p. IIII adn. [2]) iam satis indicati secuntur trochaici.

Pseud. IIII 1 pars prior, nisi fallax est species, cum B accurate constituenda ab anapaesticis 905—13. 916—18 et iambicis 914 sq. 919 ad creticos pergit, quibus primum iambi tum trochaei (cf. p. 13) immiscentur, qui deinde per paucos uersus continuari uidentur inde a 936 (in quibus describendis a B nullo modo recedendum fuit). alteram uero huius scaenae partem ab anapaestis et iambis iterum exordientem tum in trochaicos desinentem nunc missam facio.

Poen. I 2 iambi in I 1 ad trochaicos septenarios in I 2 fin. (49 sqq.) per bacchiacos et bacchiaco-iambicos transgrediuntur, quibus primum inseruntur iambici postea trochaici; uu. enim 47 sqq. ita cum cdd. restituendos conicio:

47a. Iám nunc (‖) me decét donari — quat. tr.
47b. Cado uíni ueterís. — dim. bac.
Díc dari: (‖) nihíl respondes? língua huic excidit, út ego opinor. — oct. tr.

Herm. el. d. m. p. 297, ut ceteros taceam, nonne pro nunc substituendo (de librorum lectione e Parei adnotatione non satis liquet) itemque dare pro dari, delendo uero ego et transponendo cado donari duos effecit septenarios iamb., idem de metris p. 206 tetrametrum et hexametrum bacch. restituere conatus erat.

nec non capt. II 1, quod canticum descripserunt Hermannus bis (de metr. p. 192 sq. idemque longe ab hac specie regressus el. d. m. p. 210—12) Lindemannus Fleckeisenus et Geppertus (1859) in editt., paulo accuratius cum cdd. restitutum transitum ab iambis in I 1 et 2 ad trochaeos in huius scaenae fine (240—50) et in II 2 praebebit. singulorum uersuum restitutione omissa totius scaenae metra paucis adumbrabo: ordiuntur iambici 195—203 (cf. p. 23), tum cretici et cretico-trochaici (cf. p. 20 sq.), quibus anapaestici et iambici admiscentur (206a ‖ Quid a nobis métuit? scimus nos ‖ a Gepperto recte constitutus est, sed anapaesticus uidetur non iambicus. — 208. 9 prorsus cum mss. in octonarium et septenarium anap. ultro redigentur; anapaesticos autem eos esse Fleck. epist. crit. ad Rit. p. XXI animaduertit, quamquam de dimetris cogitans). secuntur iterum plures iambici (223—25 plane cum libris redintegrandi sunt) immixtis baccheis, tum trochaici primum creticis pertexti, tum soli perpetuati 240 sqq. — 240 Fl in te[d], quod ut[i] pro ut posito euitari potest, haerens Vmpfenbachius l. l. p. 45 sq. inauditum septenarium troch. sibi finxit in choriambum pro cretico exeuntem: T. Aúdio P. Et proptérea saepiús te ut meminerís moneo. (–́ ◡ ◡ –); quin etiam 241 integerrimum in libris transponendo in septenarium analogiae gratia cogere ausus est.

§ 5.

Constat anapaesticum rhythmum a Terentii simplicitate alienum plautinae arti apte conuenisse nec tamen in omnibus inueniri fabulis: ac primum totae scaenae non raro anapaesticae sunt aut non nullis iambis uariantur (uelut aul. IIII 9, cf. Herm. el. d. m. p. 412 sq.; de uersuum autem 6—8 transpositione cf. Ladewigius in ‚philolog. gotting.' II p. 359) etc. tum uero singuli quoque pluresue uersus anapaestici aliis metris in canticis admiscentur, ut supra iam aliquoties obiter tetigimus. modo pro lubitu iambicis uariantur, modo—quia aliquanto propius a baccheis absunt—iambicos ad bacchiacos perducunt.

Vulgatissimum autem anapaesticorum munus semper id est, ut iambicorum uicarii sint: cf. e. g. Bacch. V 1 (= VI 2R, cf. p. 65 sq.); Pseud. IIII 1 (cf. p. 69); Amph. I 1 (cf. p. 27); aul. II 1 (cf. p. 66 sq.), most. IIII 2, de cuius cantici difficillimi initio iam paulo uberius agere placet:
quod cum simul in corruptissimis habitum sit, Hermannus in Ritschelii parergis I p. 504 sqq. totum in iambicos septenarios coegit, etsi praeter u. 894 nullus (885—96) audacioribus careat additamentis, transpositionibus uerborum pauci tantum exempti sint, tralaticia distinctio susque deque habita sit. attamen Ritschelius in editione idem metrum proposuit, in cantici modo exitu (898 sqq.) post septenarium trochaicum quinque uersus nouauit non minore emendandi licentia usus nouoque prorsus metrorum genere descriptos, nempe e dimetris iambicis et tripodiis trochaicis catalecticis conflatos (de quibus cf. III v § 1). sed uidendum est ne librorum lectionem ubique tutati omnibus fere coniecturis supersedere possimus. apponam igitur totum exordium, quale fortasse non omni ex parte recte probabiliter tamen spero reconcinnaui: uirorum autem doctorum innumeras mutationes, quas obiter iam Geppertus de cod. ambr. p. 21 perstrinxit, quamquam ingeniose plerumque excogitatas liceat mihi silentio praeterire non superbo sed uerecundo:

885.	‖ A. Mane tu atque ádsiste ilicó, ‖	quat. ia.
	Phanisce -, étiam respicé. P. Mihi moléstus ne sis. ‖	sept. ia.
887a.	A. Vide ut fastídit simiá. ‖	quat. ia.
887b.	P. Mihi sum, lubet ésse; quid id curás? ‖	quat. an.
888.	A. Manesne ílico [_′_], inpuré parasité? ‖	tetr. bac.
	P. Qui parasitús sum? A. Ego enim dicám: cibo*) perducí poteris quouís. ‖	oct. an.
890.	Ferocém facis, quía te erus túus amat. P. Váh! ‖	tetr. bac.
891.	Oculi dolént. A. Quor? P. Quia fumús molestúst. ‖	penth. ia.+dim. bac.
892a.	A. Tace sis, fabér, qui cuderé	quat. ia.

*) Errori credo typographico tribuendum est, quod Fleckeisenus rud. 283 hunc tetrametrum bacch. admisit: ‚Egomet uíx [meam] uitám colo: Véneri cibó', siquidem quo artificio prima in cibo produci possit, non liquet.

892b. Soles plúmbeos númmos. ‖ P. Non potés tu — dim. bac. + penth. ia.
893. Cogere me, ut tíbi maledicam. ‖ — semisept. an.
894. Nouit erus mé. A. Suam quidém pol culcitéllam oportet. ‖ — sept. ia.
895. P. Si sobrius sís, male non dicás. A. Tibi optemperem, quóm tu mihi nequeás...? ‖ — oct. an.

iam altera eius cantici pars incipit 897 sqq., si in suspecta ‚ueteris' lectione reuera acquiescendum est, ad trochaicos et iambicos uu. digerenda. memorabile denique uidetur, nisi fallax species est, extremum u. in duos dimetros troch. diuellendum esse:

‖ Sét eo magis cautóst opus, ‖
Ne húc exeat, qui mále me mulcet. ‖ B enim Ne maiuscula (N) notat. — 886. Rit. ultimam in mihi constanter corripi ratus: Mihi [tu] molestus ne si[e]s; at in hac formula, cuius exempla diligenter collecta excussit Fleck. in ‚philolog. gotting.' II p. 92, uocula tu nusquam reperitur; ne mihi quidem apponitur nisi quinquies (Men. 606; merc. 768; Poen. I 2, 122; Pseud. 118; Truc. V 5) praeter nostrum locum. — 888 uocula uidetur excidisse. — Ritschelius post Acidalium u. 887b post 889 transposuit, Hermannus rectius in loco tralaticio intactum reliquit: nam et conuicio illi simia in 887a optime respondet u. 887b et u. 890 aduorsitoris uerba in 889 non male continuat, dummodo illud ‚Qui parasitus sum?' satis feroci uoce a Phanisco prolatum esse fingas. — 892a—93 in B perperam diuisi extant, tum quia uersui breuiculo 892a totum 892b proprie adiungere scriba animum induxit, tum quia a noua persona nouum uersum incohari satius habuit. neque igitur tot supplementis opus uidetur, quot Ritschelii ingenium excogitauit parerg. I p. 444 sq.

IIII.

Ab iambis multo saepius ad trochaeos transitur quam a trochaeis ad iambos. cuius rei caussa ab eo usu petenda uidetur, quo exordiri ab iambis, exire in trochaeos solent fabulae: cf. Mar. Victorin. p. 105G idemque apud Rufinum p. 380G (de Terentio cf. ibid. p. 382). prima enim scaena uel duae tresue primae iambicis solent progredi, qui per canticum ad trochaicos desiliunt; et si quae unico tantum cantico ornatae sunt fabulae, in secunda scaena primam iambicam subsequente id tenent: uelut asinaria et Curculio. uerum etiam in iis, quibus plura poeta attribuit, post primam scaenam iambicam (ita most. Cas. truc. rud. Poen. Pseud. Men.) uel scaenas iambicas primas (ita aul. trin. capt.) sedem proximam obtinet canticum; in mercatore, quae canticum suum uariis numeris procedens II 3 demum habet, scaena illa I 2 liberioribus certe octonariis iamb. composita est (cf. III v § 1); Stichi uero et Amphitruonis scaenae primae cantica quidem sunt, ab iambis tamen quae incipiant; a canticis praeterea incepisse

uidentur Bacch. (cf. Rit. in mus. rhen. IIII p. 354 sqq. 567 sqq.) Epid. cistell.; Persa denique a liberiore scaena exorsa in fronte tamen et ipsa habet iambicos.

Nec uero desunt scaenae, in quibus secundum regulam de metrorum consecutione numeri a trochaeis ad iambos adsurgant per creticos et baccheos aut immixtis ordinibus allocometricis aut metris simpliciter hoc sese ordine excipientibus: trochaicis creticis bacchiacis iambicis.
alterius structurae exemplum extat Persae II 3, in qua duplex inest transitus a trochaeis ad iambos:

1) scaenam enim II 2 trochaicam creticus (251) excipit, qui per bacchiacos ad iambicos sese extollit (cf. III v § 2); 2) altera pars a trochaicis 257—66 incipit, quos apud Rit. hi secuntur iambici inuito palimpsesto diuisi:

267. | ‖ Bene admordére, qui salínum seruo opsígnant cum salé. | ‖
268. Virtust ubi occásio | admonét dispicere. quíd faciet mihí? | ‖

A igitur posteriorem uersum in duos dispescit remotioribus initiis insignes: quibus seruatis 268 ita scribendus est;

268a.	| ‖ Vírtus est ubi occásio |	semisept. tr.
268b.	'Admonet díspicere. quíd faciet mihi? | ‖	dim. cr. + penth. tr.

neque igitur dubitandum, quin 267 quoque trochaicus sit (septenarius):

| ‖ Béne admordere, quí salinum séruo opsignant cúm sale. | ‖

ergo a trochaicis 257—68a ad iambicos 269 sqq. per cretico-trochaicum 268b facete pergit poeta.

nec minus breuem transitum a trochaeis ad iambos per paucos baccheos in scaena statim sequente Pers. II 4 latere conicio, cuius uu. 277. 8R ambrosianus in quinque potius uersiculos diuellit remotioribus iterum initiis. Rit. cum ‚uetere' iambico octonario septenarium trochaicum submisit, (quos iambici septenarii perpetui excipiunt 279—301):

277. | ‖ S. Ybi Toxilúst tuus erus? | P. Vbí lubet illi: néque | te consulít. ‖
S. 'Etiam | dicis ubíst, uenefice? | P. Haúscio, inquam, ulmítriba tu. ‖

277 mss: illi lubet, 278: ubi sit et Nescio. 278 liberius etiam Bergkius sanauit in ‚phil. gotting.' XVII:

S. Etiam dicís [mi], ulmitriba tú? P. Vbi sit, uenéfice, nescio.

sed palimpsesti descriptionem religiose tuenti haec metra prodibunt:

277a.	| ‖ S. 'Vbi Toxilus est túus erus? |	semisept. tr.
277b.	P. Vbi illí lubet néc |	dim. bacch.
277c.	Te consulit. ‖ S. 'Etiam |	penth. ia.
278a.	Dicis ubi sít, uenefícé? |	quat. ia.
278b.	P. Néscio, inquam, ulmítriba tu. | ‖	semisept. tr.

de ‚ueteris' diuisione cf. p. 5. — itaque a trochaicis, quibus addendus 277a, per bacchiaco-iambicum 277b + c ad iambicos accrescit rhythmus 278a et 279 sqq., quibus trochaicorum quasi ἠχὼ immiscetur statim in principio unicus uersiculus trochaicus 278b.

In rudente creticis 664—74a (667 sq. in trochaeorum (615—63) uicinia e creticis et trochaicis conflatos esse quo iure p. 80 suspicatus sim, iam patet). 675. 676a (cf. ibid.). 678—80 a praecedentis scaenae trochaeis ad iambicos septenarios 681—705 in III 3 transducentibus iambici uersus admiscentur insequentium πρόδρομοι (cf. ibid. et p. 23).

Men. V 6 a septenariis trochaicis in V 5 (899—965) ad iambicos septenarios in V 6 exitu (978 sqq.) ita per baccheos Plautus transgreditur, ut secundum regulam de metrorum consecutione pronuntiatam in priore parte bacchiacos trochaicis (cf. p. 41) in posteriore iambicis (cf. p. 11) pertexat, qui deinceps gradatim accrescunt, dummodo accurate cum mss. constituantur.

nec secus Pseud. V 2 cretici et cretico-trochaici primum trochaicis (cf. p. 14) deinde iambicis et anapaesticis uariantur, quibus iam bacchiaci inseri uidentur; tum anapaestici et iambici — 1329 perpetuantur; sub scaenae exitum quasi nouo transitu instituto prior iste numerorum ordo redit, ut duplicem in eo cantico transitum si quis agnouerit, haud aduersabor: 1330—32 enim cretici iterum sunt, quos iambicus sequitur 1333, qui et ipse bacchiacis 1334 sq. excipitur.

V.

§ 1.

De metrorum consecutione cum nihil adhuc statuerint uiri docti, mirum non est si iambicos trochaicis uersibus temere miscere Plauto licuisse putarunt. quod cum insuper terentianis fabulis confirmari uideretur, cur idem Plauto abnegandum esse censerent? at terentianae fabulae praeter Andriam et non nullos in ceteris locos amoena canticorum uarietate per creticum bacchiacum anapaesticum rhythmum effecta orbatae inopiam eam frigidiore iambicorum cum trochaicis consociatione compensare student. Andria uero cum prima sit fabularum terentianarum, primo quidem seueriore lege discretum fuisse iambicum rhythmum a trochaico conicio, post, cum creticorum baccheorum anapaestorum usus sensim pedetentimque euanesceret, aliquid seueritatis in ea re esse remissum. quodsi igitur quid sibi uoluerint in primis cretici et bacchei in canticis, supra explanatum est, quippe qui trochaicum numerum cum iambico lenius coniungerent, in iis canticis, quibus aut bacchei admixti sint aut cretici, iambicos et trochaicos uersus non solere libere a Plauto confundi facili coniectura mecum praesumas: contra in iis, quae et creticis iam careant et baccheis, commisceri iambos et trochaeos, praeualente tamen apud Plautum etiam tum aliqua legis necessitate. probabile

enim non est prorsus exempta ea lege esse a poeta, qui seuere religioseque olim iambicos a trochaicis secreuerit. cui coniecturae optime hoc conuenit, quod praecipue posteriores Plauti fabulae terentianaeque aetati propiores a liberiore iamborum cum trochaeis confarreatione minus quam priores abfuisse uidentur, de qua re mox infra fusius disputabitur pluribusque. nec uero sancta codicum fides licentiam illam tuetur sed plerumque refutat.

Ac primum hoc ante omnia tenendum est non posse eodem uersu ἀσυναρτήτως coniungi iambos et trochaeos (cf. de his ill. Rudolphus Westphalius in ‚philologo gottingensi' XX 1863 p. 91). quod cum iam rhythmico nostro sensui quodammodo aduersetur, Ritschelius tamen in most. 899—903 quinque uersus admisit e dimetris iambicis et trochaicis colis semiquinariis conflatos. in quibus primum hoc offensioni est, quod alterius uersus tripodia trochaica catalectica non, ut poscit mos, in merum iambum (siue magis placet, in merum creticum) desinit, sed in anapaestum (siue choriambum): est enim 900: . . . . . . éxit atque aperit? (atque in eiusmodi colis non corripitur). tum uero primus tantum uersus (899) talis, qualis in libris circumfertur, ultro in hoc metrum redigi potuit; cui ut ceteri quattuor adaptarentur, et uoces non nullas tralaticias eici (900 ecquis, 902 set) et quasdam nouas nec ad sensum necessarias adici (901 [huc], 902 [mihi], 903 [abiero huc]) et quasdam transponi (in 901 bis. 902. 903) necesse fuit. immo si in ‚uetere' acquiescendum est, trochaici uersus in hoc exitu liberiore iambicis non nullis miscentur. (cf. etiam p. 71). ceterum Rit. ipse parerg. I p. 445, num dimetri potius cretici cum colis trochaicis semiquinariis describendi essent, scite dubitauit.

Libera iambicorum et trochaicorum uersuum confusio a canticis anapaestorum aut creticorum aut baccheorum ope accuratius compositis propemodum abhorret. mirum quantum in ea re peccauerint uiri docti contra libros scriptos:

uelut nuper Geppertus in adnot. ad trin. ed. alt. p. 142 Bothio adstipulatus in asinaria, qua simplicioribus metris composita nulla fere cogitari potest fabula, in 242 septenariis trochaicis derepente unum constituit senarium iambicum 331, quem iam Fleckeisenus ad septenarios probe digessit etsi parum probabiliter reconcinnatum. — item Stich. 1. 2 Bergkius in diurn. antiqu. stud. 1850 p. 338 comprobante Fleckeiseno in scaenae iambico-anapaesticae fronte duos octonarios trochaicos finxit, quos cum palimpsesto distinctos in anapaesticos et iambicos p. 31 redegi. — item quos F. B. Lomanus specim. crit. in Plaut. et Ter. p. 62 sq. non nullis huius scaenae locis indagasse sibi uisus est trochaicos, eos recte refellit Rit. adnot. ad u. 32.

Talis autem metrorum confusionis primordia ab ea si non lege tamen consuetudine (III II) petenda sunt, qua soliloquium saepius aliis numeris conditum est atque eiusdem scaenae diuerbium. mox enim in mediis scaenis longioribus, praecipue ubi ad nouam rem sermo decurrit, metrum dere-

pente cum alio mutatur; huius licentiae primitias illustrat e. g. most. I 3 (= II 2R), ubi post 91 iambicos septenarios (157—247) 65 septenarii trochaici (248—312) ponuntur; contra most. II 1 (= II 4R) 61 septenariis trochaicis 22 senarii iambici adhaerent nouam scaenam metricam exaequantes. — Stich. V 5 a trochaicis septenariis 742—61 exorsa et senariis iambicis usque ad 768 continuata in iambicos septenarios exit. — aul. III 2, 33 trochaici septenarii proximae scaenae quasi prolusio praemittuntur. — item rud. IIII 5 + 6 (= V 1Fl). — Men. V 6 uersus scaenae iambicae extremus 989 trochaicus septenarius proximae V 7 (990 sqq.) trochaeos praeparat; ubi fortasse 988 quoque ad iambicos rectius digeretur. — aul. III 1 breuiculum soliloquium trochaicum insequentis scaenae iambicae praenuntii iambi claudunt. — mil. II 5 ab iambicis septenariis 411—25 incipit, exit in trochaicos septenarios 426—80. — mil. IIII 2 trochaici anapaesticis commutantur. — trochaicos septenarios 414—49 excipiunt iambici senarii 450—57 in rud. II 4. — item in III 4 + 5 post Trachalionis abitum noua quasi scaena a 780 incipiente. — item Curc. V 2 (= V 4Fl), Poen. V 5, capt. III 4, Pseud. IIII 2. — capt. II 2 + 3 senarii 361—84 in mediis septenariis 251—360 et 385—460 extant. — Poen. V 4 ab anapaesticis et iambicis usque ad 28 incipit; secuntur trochaici septenarii 29—53, tum postquam ad nouam prorsus rem sermo delatus est, iambici secuntur septenarii 54 sqq. — Amph. V 2 senariis iamb. exorditur, finitur septenariis troch. — non multo secus denique Pers. IIII 3, quae a trochaeis et incipit et in eosdem exit. epistula iambice perscripta interrumpitur, quos iambos et praenuntiaturi et continuaturi iambi et anapaesti cum bacchiacis inseruntur. 490—500 enim anapaesticos tantum et bacchiacos esse non trochaicos contenderim inuito Ritschelio, quales anapaesticis ille dubitanter immiscuit 491 (quem tamen ipse in praef. p. VIIII adn. anapaestis dimetiri maluit). 495. 6 (cf. p. 3; 496 iam Geppertus de eloc. etc. p. 120 anapaesticum esse intellexit). 498 sq. cum mss. propius restaurandos.

Paulatim uero nouae uarietatis studiosus trochaicos cum iambicis eum in modum copulare coepit Plautus, ut nullis aliis numeris interpositis, qui transitus duritiam lenirent, alteri alteros tangerent. sed propemodum constanter eam sibi ipse imposuit legem, ut a praecedentis scaenae iambis ad insequentis (uel insequenti proximae) trochaeos transitum patefacturus secundam scaenam (uel secundae initium) iambicis describeret uersibus, quibus rariores trochaicos admisceret posteriorumque trochaicorum praenuntios; similique ratione, ubi huic contrarius metrorum ordo instituendus erat; morem igitur terentianum iam praeparauit. alibi iambicorum et trochaicorum uersuum interse contundentium asperitatem illo artificio mitigauit, cui conuenientius quam hermannianum nomen imponi nequit: numeri continuationem dico, per quam aut uersus iambici hypercatalecti cum trochaicis aut hypercatalecti trochaici cum iambicis in integrum tenorem restituuntur repentinique transitus duritia mollescit. ita plurimi loci, in quibus iambi

trochaeis aut trochaei iambis contra normam interrupti uidentur, plane legitima atque adeo exquisitiore elegantia insignes sunt. sed cum totum huius dissertationis caput, quod ei artificio accuratius describendo tribueram, in schedis retinere cogerer, postquam multum haesitaui, ne de quibusdam locis imprudentius uiderer iudicasse, iambicorum et trochaicorum uicissitudinem in licentiis lege solutis fere ubique in sequentibus numerare satius duxi. id nolim maligne carpant, qui hunc libellum perlegerint.

mercatoris fabulae simplici metrorum delectu insignis scaena I 2 canticum uulgo continens post iambicos uu. 111—40 trochaicos repente septenarios exhibet 144 sqq., ubi ad nouam rem sermo minime decurrit; legimus in ea scaena apud Rit. etiam uu. 116—18. 129. 130 trochaicos septenarios in mediis octonariis iambicis: qui quamuis possint saltem omnes trochaicorum (141 sqq.) prodromi esse, tamen cum u. 117:

Ita tres simítu res agéndae sunt, quando únam occeperís,

(iambicum iam defendit Kampmannus de reb. mil. p. 34) et item 118 iambici octonarii extent in mss. (118 Et currendum ét pugnandum et aútem iurigándumst in uiá.), uersus tantum 116. 129. 130 insequentium trochaeorum praenuntii putandi sunt. 133—35 plane cum B in unum senarium cum tribus quaternariis iamb. redigendi sunt.

item in Men. I 2 cantici parte posteriore transitus ab iambis ad trochaeos per trochaicos in mediis iambicis collocatos instituitur (cf. III vii), lenitur tamen eo, quod in priore cantici parte lex de metrorum consecutione accurate obseruatur.

contra in Men. V 7 scaenam e meris septenariis troch. constantem (990—94 et 1007—49) iambici exquisitius subrepserunt 995—1006 scaenae V 6 iambice exeuntis quasi ἠχώ.

Bacch. IIII 9a (= V 1R) iambicis octonariis composita (ut senariis IIII 8), terentianae tamen arti iam eo nomine non dissimilis est, quod quaternarius iamb. 970 longiores interrumpit, quem caue ne pro lacunoso accipias. inseruntur autem uersibus iambicis scaenae trochaicae IIII 9b (= V 2R) praenuntii primum tres octonarii troch. cum septenario 953—56, quos probe agnouit Rit.; sed plures etiam latent trochaici in primis sub exitum — ut par est —, quos in iambicos uix recte coegerunt recentiores, trochaicos plerumque probe cognouerunt Bothius et Weisius:

963 sq: Cógnitum ab Helena ésse proditum Hécubae. set ut olim ílle se
Blánditiis exémit et persuásit se ut amítteret,

in priore transponunt duce Acidalio Ab Hel. cogn., in posteriore Rit. add: [ab illa] ante exemit.

969. Cépi spolia. is núnc ducentos númmos Philippos míliti,

alii alia interpolant. similiter 972 cum 971 arcte conexus.

eadem ratione in Bacch. IIII 9b (= V 2R) scaena a trochaeis exordiente, desinente in senarios iamb. (997—1075) trochaicis iambici inseruntur senariorum praenuntii. Hermannus solos 987. 8, Ritschelius insuper

u. 994 a Fleckeiseno tamen pro trochaico sumptum in iambicos octonarios redegerunt. 989—96 liberius tractatos suo uterque modo in trochaicorum formam coegerunt. attamen librorum scriptura ubique si quid uideo tuenda est: Rit. quidem uu. 989—96 perturbatissimam speciem in B extare ex iteratis non nullis conclusit; sed Chrysalus a Nicobulo bis secedere conatur: ergo cum B corrigo:

989a. C. Quid me tibi adésse opust? N. Voló - ut quod iubébo facias. ‖ sept. ia.
989b. Vt scias quae hic scrípta sint. ‖ semisept. tr.
990. C. Nihil morór neque scire uoló. N. Tamen ades. C. Quíd opust? N. Taceas. ‖ sept. ia.
991a. Quod iubeo, id fácias. C. Adero. semisept. ia.
991b. N. Eúge litterás minutas. C. Quí quidem uideát parum. ‖ sept. tr.
992. Vérum qui satis uídeat, grandes sátis sunt. N. Animum aduórtito igitur. ‖ oct. tr.
993. C. Nólo, inquam. M. At uolo, ínquam. C. Quid opust? N. 'At enim quod te iúbeo facias. ‖ „ „
994. C. Iústumst tuus tibí seruos tuo árbitratu séruiat. ‖ sept. tr.
995. N. Hoc age, sis, núnc iam. C. Vbi lubét, recita, aurium óperam tibi dicó. ‖ oct. ia.
996. N. Cérae quidem hau parsít neque stilo. sét quicquid est, perlégere certumst. ‖ oct. tr.

991b—94 iam Bothius bene perspexit. — immiscentur igitur trochaicis iambici octonarii 987. 8R, quos iamb. septenarius 989a claudit, non secus atque trochaicis qui antecedunt octonariis sub finem duo inseruntur septenarii 986 nec non 984 ita cum mss. restituendus: . . . . . . ópsignatas mi hás dedit: tum uero post dimetrum trochaicum terentiano more iterum iamb. septenarius 990 cum propinquo dimetro catalectico 991a; postremo iambi emergunt 995 in mediis trochaeis, donec inde a 997 per totam scaenam perpetuentur.

capt. III 3 praeualent iambi trochaeis pertexti. neque enim cum Ritschelio proll. trin. p. CLXXVIIII sq. omnes uersus inde a 526 in trochaicum metrum redigendi uidentur: nam 529 in cdd. aperte iambicus est octonarius, quem 530 excipit senarius iamb. (cf. p. 23), in quo fugit me quomodo magis haerere potuerit cum Ritschelio l. l. Fleckeisenus quam in 525, quem senarium ipse effecit. sententia uero in 530 labem traxit nullam.

capt. IIII 1 cum iambicis praeualentibus iterum luctantur trochaici: trochaici enim sunt non modo 768. 9Fl sed etiam

775. Síne sacris heréditatem sum áptus ecfertíssumam.

Fl. praefixit: [Ita], Gepp: [Nam]; 772 autem e quaternario et penthemimere troch. consutus uidetur (cf. capt. 525 p. 23):

Néc quoiquam homini súpplicare núnc certumst mihi.

Fl. praefixit: [Saluos sum], alia alii.

Pseud. I 2 iambi (eorumque uicarii anapaesti) cum trochaeis decertant (de 140 sq. cf. p. 10; 145 septenarium troch. cum Bothio praetulerim octonario, cf. 146; Bergkius in ‚philologo gottingensi' XVII p. 39 uersum 147 quoque, ad quem palmaris coniectura tonsilia pro conchyliata (R) attinet, uenenata pro beluata insuper liberius substituendo eidem metro tribuit, de quo cf. quae contra disputauit Roeperus ibid. XVIII p. 242; de 161—84 cf. p. 55 sq.)

item anapaestici iambicorum uicarii cum trochaicis luctantur Pseud. I 3 princ. (cf. p. 57) nec non ibid. II 1: qua in describenda cum paulo nimium a membranis recedendum putasset Ritschelius, Fleckeisenus subtilissime cum mss. trochaicos posuit anapaesticis pro lubitu uariatos, postquam non nullos iam Weisius suo iure recognouit. neque igitur dubito, quin 591 quoque cum cdd. anapaesticus (non trochaicus) sit quaternarius; immiscentur autem anapaesticis propinqui bacchiaci 581 sq. et 593; 594 enim pro dimetro anapaestico cat. cum mss. habendum esse suspicor: Et hic quam rem agat, hínc dabo insidias. (cdd. hinc pro hic); Rit. grauiora molitus bacchiacum temptauit: [Pol] hinc quám rem agat, núnc [ïam] dábo [ego] insidiás; et 593 et 594 pro anapaesticis sumpsit Geppertus de eloc. etc. p. 118 sq., ea autem quam proponit uersus 593 restitutio Lubet scire, quid híc ueniat cum machaéra, si nullo alio eo iam nomine sollicitanda est, quia dimeter efficitur anapaesticus hypercatalectus; quod uero in ambrosiano Geppertus non, ut Ritschelius, uenerit uidetur legisse sed ueniat, id, ne si errasset quidem Ritschelius, magni esset momenti, quoniam in adulterata palatinorum lectione uelit, nisi pro dittographia ea habenda est, dubium uix est quin lateat uenerit.

in Amphitruonis, quam propter metrorum naturam in posteriorum fabularum plautinarum primis numerari uelim — ea enim, quae ex ipsius fabulae textu adsciuerant uu. dd. ad tempus, quo docta esset, accuratius definiendum, non multum ualere Ritschelius parerg. I p. 232 sq. adn. egregie demonstrauit — scaena V 1 iambici cum trochaicis ita decertant, ut primum illi, postremo hi uictoriam reportent.

Persa, cuius scaenae liberiores metris terentiano more uariatis compositae sunt, trochaicis inter iambicos occurrentibus, ut par est, abundat: uelut statim scaena prima et ab iambis incipit (1—12) et in iambos 43 sqq. exit; 13—42 autem trochaei cum iambis luctantur, ad quos primum artificiosius per creticos transducuntur (cf. p. 63). — similiter II 2.

nec non in Sticho post iambicam I 3 (= II 1R) trochaica scaena sequitur II 2 (= II 3R). interposita est II 1 (= II 2R), cuius posterior pars a priore sententiarum insuper et nexu et incisione secreta 309—25 ex anapaesticis constat, prior ex iambicis, cui alloemetrici admixti sunt prodromi trochaici octonarii et septenarii. quin eo usque paulatim progressa est ars metrica, ut iambicos quoque senarios adderet more postea a Terentio potissimum culto: u. enim 300 cum Herm. el. d. m. p. 164 comprobante palimpsesti distinctione senarius est, itemque 288 cum mss. in duos (semiseptenarium troch. et senarium iamb., quod genus metrorum apud Terentium frequentatur,) dispescendum esse intellexit idem l. l. p. 184. terentianum igitur ingenium cum haec scaena prae se ferat, Stichus in postremis fabulis plautinis esse uidetur, quamquam actum secundum posteriore diasceuastae alicuius recensione pertractatum ad nos peruenisse demonstrare studuit Bergkius diurn. antiqu. stud. 1850 nr. 42.

Denique ut comprehendam, quae singillatim enucleata sunt: posterioribus

fabulis propter liberiorem iamborum trochaeorumque consociationem adnumerandae uidentur (mostellaria) Amphitruo mercator Menaechmi captiui Bacchides Pseudolus Stichus Persa.

§ 2.

Iam supra passim uituperauimus, quod bacchiacos cum creticis sine ulla lege in Plauto consociare et confundere critici adsueuerunt. uerum sicut trochaeos sub certis tantum condicionibus cum iambis coniungi docuimus, ita baccheos et creticos non minus certis finibus separatos esse contendimus. quos nisi sedulo tenuisset poeta, rhythmus saepe temere frangeretur. nec librorum memoria sed nimia uirorum doctorum indulgentia hanc confirmauit licentiam, quam refellere iam conabor. non reprehendo talia, uelut in rud. I 5 multorum uersuum bacchiacorum ordinem etiam longior excipit creticorum ordo, quem rursus bacchiacus sequitur; eo enim loco fluctuant numeri non aliter atque ubi complures uersus trochaici pluribus excipiuntur iambicis, iambici iterum trochaicis.

Ac primum apud Ritschelium in most. I 4, quod canticum ante eum tractauit Hermannus el. d. m. p. 213 sq., (= II 3R) rhythmus bacchiacus (313 sq. 316—19) cretico uersu (315), item mox creticus rhythmus (320 sq. 323 sq. 326 sq. 329. 333 sq. 336—43) sexies repente interrumpitur: ter bacchiaco (322. 330—32. 344 sq.), bis iambico rhythmo (325. 328), semel trochaico. bacchiaci uero numeri iam propter incertum trimetrorum genus plus minusue suscitant suspitionis. itaque quam breuissime metrorum in hoc cantico liberiore restitutionem addam: numeri primum a bacchiaco-iambicis ad cretico-trochaicos pergunt, tum ab iambicis anapaesticisque ad cretico-trochaicos (—343). 1) ac facete, dum solus loquitur Callidamates, bacchei cum iambis commixti reperiuntur, inde a Delphii responso 320 sq. cretico-trochaicus numerus exorditur; uu. enim 313—19, quos passim tetigi II v § 2, II vi § 1 et 2, bacchiaco-iambici, u. autem 315 fortasse iambicus est (cf. p. 15). iam cretici et trochaei 320 sqq. incipiunt (cf. p. 35; octonarius autem spengelianus in duos quaternarios cum B dirimendus uidetur). 2) altera pars post creticos primum iambicos praebet. duo enim bacchiaci ritscheliani (trimetri) non minus suspecti per se sunt quam tetrameter bacch., qui mutato demum ambos in ambo ad hoc metrum digeri potuit:

330. E. Iacentís tollet póstea nós ambo aliquís.

iambice autem et anapaestice omnes dimetiendos esse p. 28. 36. 49 demonstratum est. interrumpitur denique legitimus ordo apud Rit. duobus uersibus bacchiacis 344 sq. reiectaneis (cf. p. 36 et 39).

Similiter canticum creticum most. III 2 duobus bacchiacis 731 sq. interciditur dubitanter (cf. adn. ad 731) a Rit. constitutis:

‖ Vitam cólitis. T. Immó uita antehác erat: ‖
Nunc nobís [simitu] ómnia haec éxciderúnt. ‖ ,

quorum prior iam eo nomine sollicitandus est, quod in catalexin exit, alter

addito tantum [simitu] in bacchiaci mensuram abiit. quibus perpensis Bergkius ind. lect. Hal. 186⅚ p. VII a ‚ueteris' distinctione regressus trimetro bacchiaco ac. tetrametrum praemisit:

|| Vitam cólitis. T. Immó uita antehác erat, || núnc
Nobis ómnia haec éxciderúnt. ||

praetuli:

|| Vítam colitis. T. Immó uita antehác erat: || penth. tr. + dim. cr.
Núnc nobis ómnia haec éxciderunt: || dim. cret. + dipd. tr.,

si Camerarius omnia recte dedit pro communia. — eodem metro atque 731 scriptus est 737b, eodem atque 732 item 738, emendati a nobis p. 16 et 20.

Magis etiam singulare est, quod in asinaria. quae bacchiaco rhythmo omnino caret, in decem tetrametris creticis subito unum bacchiacum admisit Fleckeisenus cum G. A. B. Wolffio de cant. in rom. fab. scaen. Hal. 1824 p. 32: 133, quem tamen eodem iure pro cretico accipi posse iam monuit A. Spengel. l. l. p. 21. — de rud. 230 sq. cf. p. 40.

Nec probabilius in rud. III 3, quae scaena a trochaeis ad iambos per creticos pergit, bacchiaci interponuntur 667 sq. 674 sq. rudentem quidem in posterioribus Plauti fabulis numerandam esse edocet bacchiacorum et creticorum uersuum tamquam certamen in I 5, perinde atque iambici cum trochaicis alternantes in posteriorum canticis decertare solent. sed et pauciores sunt bacchiaci et librorum indigent tutela. uu. enim 667 sq.:

[Nec scimús quam in p]artem íngredi pérsequamúr.
[Nimis mágno miserae] ín metu núnc sumus ambaé.,

cum lacunosi sint in mss. (cf. Pareus not. crit. p. 255), possunt saltem e dimetro cretico ac. et dipodia trochaica (cf. II III § 2) consuti esse:

[Néc quam in p]artem íngredi pérsequamur,
[Scímus nos]; ín metu núnc sumus ambae.,

uel similiter; 674 sq. autem:

|| Set nunc se út ferunt rés fortunaéque nostraé, ||
Moriríst par nec méliust morte ín || miseriís.

e Fleckeiseni coniectura prodierunt. si membranis confidendum erit, proponam:

674a. || Sét nunc sese út ferunt dim. cr.
674b. Res fortunaéque nostrae, || iambicorum praenuntius semisept. ia.
675. Pár morirís t nequest mélius morte ín malis || tetr. cr.
676. Rébus miserís. T. Quid est? quae íllaec orátiost? || „ „

nihil nouaui praeter cdd., nisi quod hi 675: par est mori; Fleck. eiectis iis, quae in in malis rebus miseris sibi uisus est deprehendisse, glossematis pro miseriis a Quid in 676 usque ad oratiost iambici septenarii dimetrum priorem posuit.

Insolentiorem impurisque baccheis abundantem tetrametrum bacch. in mediis creticis post Bothium posuit Ritschelius Pseud. 931:

S. Occidís me, quom istúc rogitas. P. Hóminem lepidúm;

cdd. inserunt O ante Hominem, metrum restitui p. 13.

Aperte perpetuati non interrupti, ut uoluit Rit., creticis sunt bacchiaci Pseud. 1126 sqq.; ibi enim bacchiacis 1126. 1129 sq. cretici 1127. 1131 et cretico-trochaicus 1128 uulgo miscentur; sed u. 1131R:

| ‖ Vénus mihi haec bóna datat, quom ádigit huc ‖ lúcrifugas, | ,

quem A. Spengelius p. 15 palimpsestum religiose secutus ita restituere maluit:

| ‖ Vénus mihi haec bóna dat, quom hos húc adigit ‖ lúcrifugas, | ,

et nimis impuris pedibus offendit et a Bergkio in diurn. antiqu. stud. 1855 nr. 37 una cum proximis, in quibus maiora contra codices molitus est Ritschelius, in anapaesticos iambicosque numeros cum mss. redactus est:

1131. | ‖ Venus mi haec bona dát, quom hos huc adigít ‖ quat. an.
Lucrifugas | , dámnicupidos, quí se suamque béne curant cutém, | ‖ oct. ia.
1133. Edunt, bibúnt, scortantur. ílli sunt alio íngenio atque tú. | ‖ „ „
1134a. Qui nec tibí bene esse pátere et illis, quíbus est, inuidés. ‖ „ „

uu. 1133 et 34a iam Bothius itidem constituerat. — 1132 mss: se suamque aetatem bene curant; cutem pro aetatem ingeniose Bergkius, dummodo ne uerborum simul opus esset transpositione. munita codicum lectione anapaesti restituendi sunt. Rit., ut trochaicos efficeret: potitant pro bibunt, transp: alio sunt illi, neglexit codicum A et B interpunctionem ante edunt; 1131 enim uersiculo palimpsestum falso subiunxisse lucrifugas inde colligendum est, quod uersus insequens 1132 in A in eandem atque in B uocem (curant) exit. — 1127 uero, quem inuitis libris pro cretico tetrametro Rit. sumpsit, bacchiacum potius uideri | ‖ Dum dat, dúm calet, déuorarí decet. nám ‖ p. 8 docui. — 1128R denique ‖ | Bóni uiri paúperant me, ímprobi [me] alunt. | cum cdd. in dimetrum bacch. cum tripodia iamb. cat., cui metro u. 1129 quoque cum mss. nos p. 46 tribuimus, cogendum esse persuasum mihi est:

1128a. | ‖ Boni mé uiri paúperant, inpróbi alunt, | (cf. p. 45).

in B secuntur eodem uersu continuata:

1128b. Aúgent rem meám mali. ‖

quae cum ab A absint, pro glossemate expulit Ritschelius; subtiliore sane concinnitate insignis esset dictio, si reicerentur; sed cum totus ille locus garrula uerbositate laboret, haud scio an defendenda sint, ita ut semiseptenarium trochaicum efficiant. in A uero errore hunc uersiculum omissum esse statuerim. qua in uerbositate non magis quam ego haerens, sed de grauissimis turbis cogitans Geppertus in adn. ad trin. ed. alt. p. 146 et 161 hos temptauit trochaicos septenarios:

Nám ‖ | boni uirí me pauperant, aúgent rem meám mali.
'Improbi - alunt, ‖ | pópulo strenui, míhi improbi sunt úsui. ‖ ,

quem refellere opus non est.

Non minus incerti sunt trin. 277. 8 duo tetrametri bacchiaci creticis 276 et 279 inserti, in quibus anapaesticos numeros latere e probabili posteriorum duorum uu. descriptione colligendum est; librorum enim distinctio tales anapaesticos commendat:

277. Neque tibi ero in móra neque latebrosé || dim. an. ac.
278. Me aps tuo conspéctu occultabó. | ||. „

cetera exempla consulto omitto, quippe quae ne specie quidem probabilitatis insignia sint.

Quodsi toti uersus cretici cum totis bacchiacis ne libere temereque confusi miscerentur quantum Plautus euitauerit, demonstratum modo est, eodem eum uersu baccheos et creticos comprehendisse eo minus ueri uidetur simile. cumque is uersus, quem solum ita comparatum esse aliquando suspicatus erat Bergkius (ind. lect. Hal 186⁵⁄₆ p. III adn.[1]), Men. 969 (quo de cf. p. 40):

Tutetúr quam si [ips]ípse ádsit aut réctius.

coniecturae tantum uiri illustrissimi debeatur, cui tamen ipse traditam scripturam praeferat, ne uno quidem uerbo totum hoc genus tetigissem, nisi apud anonymum post Censorinum (p. 408G) eiusmodi exemplum repperisse sibi uisus esset Bergkius:

Amicós ad hanc rém sí uoles áduoca.

legitur autem is uersus in capite III, cui inscriptum est ‚de numeris simplicibus' (p. 408G): ubi postquam de pyrrhichio spondiazonte dactylico dictum est, iam sic pergit: ‚amphibrachus non facit numerum. anapaestus:

Agilís | sonipés | rapitúr | celerí | sonitú | trepidáns | .

creticus: Hórridi | tránseunt | ád pedes | éx equis | .

palimbacchius: Amicos ad hanc rem si uoles aduoca.

bacchius non facit numerum etc.' — iam primum omnium patet, cum ‚de numeris simplicibus' huic capiti inscriptum sit, de uersu composito e baccheis et creticis cogitari nequire. tum uero ex iis quae secuntur ‚bacchius non facit numerum' (cf. ea quae de amphibracho paulo supra proferuntur) satis intellegitur baccheum et palimbaccheum, ut saepissime apud ueteres rei metricae scriptores, interse esse commutatos, siquidem baccheus (i. e. e nostro more significandi palimbaccheus) numerum reuera non facit. in ‚Amicos — aduoca' igitur bacchiacum numerum inesse oportet. est autem ea exemplorum ab anonymo post Censorinum prolatorum natura (cf. exempla supra excripta), ut et purissimi sint cuiusque rhythmi pedes et singulis uocibus, quantum fieri potuit, singuli pedes comprehendantur; id quod lineolis immissis significaui. ergo scribendum conicio:

Amicós | ad hanc sí | uoles ád|uoca rém | .

insolentior autem uocis rem ab hanc per aliquod spatium diremptae collocatio, ut contra autographum transpositionem temptaret, librarium commouit. iam et numeri recte procedunt et puri sunt pedes et singulorum pedum fines cum uerborum finibus congruunt; post uerborum enim compositorum praepositiónem (ad|uoca) si qua extet caesura, eam integrae fere post uocem simplicem caesurae naturam exaequare apud scaenicos romanos inter omnes constat. liberius O. Jahnius plaudente Ribbeckio in

trag. lat. rell. inc. inc. fr. CXXXVIIII hunc uersum correxit: Amicós ad hanc rem, út soles, áduoca[tó]., Geppertus contra e comoedia potius sumptum eum esse ratus (de eloc. etc. p. 112): Amicós ad hanc rém, si uoles, áduoca[bis]: quod tamen propter tertium baccheum impeditiorem improbandum est; puris enim pedibus omnia omnium uersuum exempla a Censorino l. l. citata composita sunt.

Is denique uersus, quem e creticis et baccheis consutum esse Bergkius l. l. uoluit singulare simul compositionis genus et ipse admiratus, Pseud. 1249:

|| Pérgitin pérgere? ah , se[q]uendúm mihi || hodiést.,

bergkiana et circumscriptione seruata et lectione non minore cum iure pro cretico tetrametro ac. haberi potest:

|| Pérgitin pérgere? - áh, se[q]uendúm mi || hodiest.

ceterum ‚ueteris' distinctio munienda est. Rit. 1249 sq. ita sanauit:

|| Pérgitin pérgere? ah sé[r]uiundúm mihi||st.
Magnum hoc uítium uinóst: dim. bac.

omisit hodie (mss. in fronte 1250); A. Spengelius p. 21 igitur:

|| Pérgitin pérgere? ah sé[r]uiundúm mi || hodiest.,

in 1250 constituendo Ritschelium sine dubio secutus. immo corrigendum est:

|| Pérgitin pérgere? ah sé[r]uiundúm mihi || tetr. cret.
Hódiest. magnum hoc uítium uinost: quat. tr.,

quales plures in eodem cantico occurrunt; Weisius eandem lectionem seruauit, nisi quod u. 1250 pro quaternario anapaestico accepit.

Restant tres praeterea uersus, quos Bergkius l. l. p. VI adn.[4]) e dochmio (baccheis propinquo) et dimetro cretico catalectico (uel acatalecto, cf. capt. 499) conglutinatos esse declarauit: Pseud. 1263, e cuius lectione admodum incerta nihil omnino concludi potest; capt. 498. 9:

|| Quid est suáuius quám bene rem gérere
Bono público, sícut ego féci heri. ||

quod ‚ueteris' diuisionem, quam recentiores deseruerunt, uir doctissimus tenuit, omnes probabunt. sed Geppertus anapaestos et baccheos constituendo idem probabilius adsecutus est.

Non mixti pro lubitu sed congruenter quam maxime cum lege de metrorum consecutione extant in posterioribus fabulis cretici cum bacchiacis, ubi a trochaicis ad iambicos transitur, ita ut trochaicos unus excipiat uersiculus creticus, hunc bacchiacus uel bacchiaci, hos iambici. uelut Pers. II 3 init. a trochaeis in II 2 ad iambos numeri per paucissimos cret. et bacch. surgunt, cf. p. 72. simile est Pseud. V 1 initium, quae tamen scaena eis iam adnumeranda est, in quibus proprius legitimeue instructus transitus ab iambis per baccheos et creticos ad trochaeos non fiat, reliquiae uero tam frequentis metrorum consecutionis dignosci etiam possint. in priore parte bacchiacos 1246 sq. cretici 1248 sq. excipiunt, hos trochaei 1250.

Reuera autem mixti reperiuntur bacchiaci cum creticis in Men. IIII 2 initio, ita tamen ut, si 571—77 uno tenore legeris, meri bacchiaci numeri ultro appareant. quod cum iam praeclare senserit Hermannus el. d. m. p. 304 sq., non debuit librorum memoria repudiata incertum in coniectando petere refugium. totus enim locus sanissimus est, qualis in B traditur. opinionis meae testes affero uersus bacchiacos catalecticos || Molestóque multum, átque uti, quíque sunt || et Bonine án mali sínt, id hau quaéritant. || : neque enim hi proprie catalectici sunt, dummodo cum sequentibus utrumque in legendo coniunxeris: nam bis cretici numeri secuntur, qui cum ab altera baccheorum syllaba longa initium capiant, integrum baccheum efficiunt cum antecedentis bacchei mutili syllabis prioribus catalecticum uersum claudentibus (◡ —). de continuatione igitur numeri bacchiaci cogitandum nec tamen ad integros bacchiacos restituendos uerba in uersuum exitu diuellenda sunt. luculentissimum uero argumentum inde subministratur, quod u. 575, qui qualis in libris circumscriptus est tetrameter creticus cum dimetro catalectico uidetur:

| || (Rés) magis quaéritur quám cluentúm fides |
Quoíusmodi clúeat. | || ,

excipitur uersu e penthemimere iambico et dimetro bacchiaco conflato:

Sist paúper atque haú malus, néquam habetúr.

(scribitur perperam Si [qui]st). apices addidi bacchiaco numero continuato conuenientes; sexti enim bacchei syllaba prima e priore uersu adsciscenda est (clue)-at cum sist paú(per) integrum pedem effectura.

VI.

Non omnia cantica ita instituta esse, ut transitum ab iambis ad trochaeos uel a trochaeis ad iambos patefacerent, iam inde intellegitur, quod e singulis haud pauca constant metris per totam scaenam continuatis. uerum in aliis eiusmodi transitus non fit, plures nihilo minus et uarii interse copulantur numeri. non dico talia, qualia sunt rud. I 4 et 5, sed ea, in quibus ordo ille iambicorum bacchiacorum creticorum trochaicorum adeo usque iam inueterauit, ut e. g. canticum ex his numeris consutum sit: trochaicis bacchiacis creticis trochaicis etc.

Quod cum in posteriores potissimum fabulas cadere consentaneum sit, nisi de metrorum consecutione perperam coniecimus, liberius istud canticorum genus in Pseudolo Bacchidibus aliis quod deprehendimus mirum non est:

Pseud. I 3 (230 sqq.), quam scaenam antecedenti cum palimpsesto continuauit Ritschelius, ab anapaesticis (iambicorum uicariis) cum trochaicis mixtis 230—42 (cf. p. 57) incipit, ut seueriorem transitum ad hos ab illis a totius loci indole abhorrere iam constet. deinde uero trochaici 243. 249.

255 (cf. p. 46) etc. secuntur, quibus primum, ut solent, admiscentur bacchiaci 244—48. 250—54. 256 (cf. ibid.) —58, tum ab his per trochaicum 259 segregati cretici 260—62. de 263. 4 meam sententiam proferre propter incertam in A lectionem ausus non sum. trochaici deinde septenarii continuantur 265 sqq. — nec multum discrepat Bacch. IIII 3 ratio, quam scaenam plane cum mss. reconcinnandam esse intellexi. in primis uu. 632—39 uu. dd. audacius tractarunt, quos quo modo plane cum mss. ad surgentes numeros (iambicos et simil. dico) digerendos esse censeam quominus exponam, doleo quod libelli angustiae me prohibent. — eidem generi liberioris compositionis Bacch. IIII 4 et V 2, Pseud. V 1 tribuendae sunt. — similiter etiam quamquam simplicius Amph. II 1 composita est; item Amph. II 2, quam trochaici praecedunt, e bacchiacis eorumque uicariis bacchiaco- iambicis (cf. II VI § 1) constat, quibus trochaici iterum submittuntur. — eodem pertinet Pers. V 2: sub scaenae autem exitum trochaici iambicis et anapaesticis interrumpuntur, dummodo membranarum uestigia quam accuratissime premantur. seligam instar omnium extremorum uersuum descriptionem per uacua in B spatia ((‖)) significatam ideoque puto fortasse magis obscuratam, quia fabulae exitum quam paucissimis uersibus comprehendere scriba studuerit; cuius rei testis adhuc superest lacuna in 856 fin.:

854a.	‖ T. Satis súmpsimus súpplici iám. (‖)	trim. bacch.
854b.	D. Fateor, manús uobis do. (‖)	semisept. iamb.
855a.	T. Et post dabís ‖ sub furcis. (‖)	„ „
855b	Abi intro ín crucem. D. An me híc parum exércitum hiscé	tetr. bac.
856a.	Habent? T. Cónuenissé	dim. bac.
856b.	Te Toxilúm me[mineris]. ‖	semisept. ia.

854a trimetrum bacch. esse uoluit ill. Bergkius in colloquio, ipse de semiseptenario iamb. cogitaueram. membranis religiose obsecutus sum. contra Rit. 854a: iam supplici; 855a omisit Et; 855b: intro abi, parum hic exercitum hisce me; 856b: Toxilum te; iambicos et trochaicos descripsit.

VII.

Duplices transitus secundum schema supra expositum Plautus primum ita instituit, ut sine uarietate eadem eorundem metrorum consecutione in utraque cantici parte utatur. exemplum proposui most. I 2 (= II 1R) supra p. 68. non dissimilis est Pseud. V 2 condicio, qua de cf. p. 73 etc. — inde autem exquisitior Plauti ars perspicitur, quod ubi bis ab iambis ad trochaeos transit uel inuerso ordine, solet fere uariare in metris transitum illum condientibus lenientibusque.

Ita most. III 2 duplex transitus latet ab iambis in III 1 ad trochaeos in fine III 2 (804 sqq.): incipiunt cretico-trochaici 690—712. 714. 717 mixti

continuatique meris tetrametris creticis 713 (quem ego contra Rit. cum cdd. pro tetrametro cretico acatalecto eodem iure habuerim Te ípse iure óptumo mérito incusés licet. — Rit: Te ípse iure óptumo incús[it]es licet. — atque ipse paulo post u. 717, ubi inserto [huc] opus non est, pro dimetro cretico cum colo trochaico semiquinario in mediis tetrametris creticis acat. accipiebat.). 715 sq. 718—26. inseruntur deinde creticis et cretico-trochaicis trochaeorum prodromi septenarius troch. 728, quaternarius troch. 737a (cf. p. 16), idem cum penthemimere troch. 740 (cf. p. 20). iam uero cum 741 ex ingeniosa Ritschelii distributione nouae personae (Theuropidis) accessu sermo interrumpatur, post unum dirimentem creticum tetrametrum 741 iambici numeri redeunt, primum octonarii 742—45, tum post unum minorem septenarium 746 senarii 36 (747—82), quibus cantici natura prorsus euanescit. tum illi iambi inde a 782 per bacchiacos et bacchiaco-iambicos (cf. II vI) 783 — 803 simpliciter ad 54 septenarios trochaicos (804—57) delabuntur.

Non minore arte in Men. I 2 iambi (I 1) duplici ratione ad trochaeos in I 2 pergunt: 1) 110—19: cretici trochaicis miscentur. 2) 120—34: iambici 120—22 (cf. p. 26). 128 sq. 131—34 scaenae I 1 memoriam reuocaturi immixtis trochaicis septenariis 123 — 27. 130, qui deinceps, postquam desiit canticum (134), a 135 usque ad 181 scaenam I 2 claudunt. ita rem contemplatus nescire me confiteor, qua caussa commotus uu. 128 sq. in mss. iambicos, quos recte tenuit Bothius (Vbi sunt amátores maríti? dona quíd cessant mihi et Conferre omnés congratulántes, qui pugnáui fortitér?), in illo amatores sunt cum Camerario, in hoc congratantes e sua coniectura ponendo trochaeis Ritschelius describere maluerit.

Tripertitum transitum ab iambis in IIII 1 ad trochaeos in IIII 2 exitu (604 sqq.) praebet Men. IIII 2 init., cuius metra per singulos uersus nunc non persequar. moneo tantum iambis in tertia parte (596—600) submitti tetrametrum cret. cat:

601. ‖ Quam hódie uxori ápstuli atque húic detuli Erótio. ‖ ,

in quo uu. dd. nescio quo artificio creticum rhythmum non odorati aut uarias lacunas corruptelasque deprehendisse sibi uisi octonarium iambicum non sine magnis negotiis composuerunt, aut (e. g. Bergkius ind. lect. Hal. 186⅞ p. X) ab aliena manu adiectum eum esse contenderunt. sed cum 602 Menaechmi soliloquium a Peniculo et matrona arbitris eo usque mutis interrumpatur (P. Quid ais? M. Viro me malo male nuptam.), magis e re nescio quid esse potuerit, quam ut uerbis proxime antecedentibus uxorem nominatim commemoratam derideret Menaechmus. quod ad significandum u. 600 solus non sufficiebat: Placabit palla quam dedi; sufficiebat autem, ubi addebatur: Quam hodie uxori apstuli atque huic detuli Erotio.

Duplicem iterum ab iambis in I 1Fl (= I 1 + 2 uulg.) ad trochaeos transitum e scaenae rud. I 2Fl (= I 3 uulg.) corruptelis enucleaui; quae etsi in principio lacunosa sit, leuibus tamen modo eget emendationibus, nec

de restitutione debebant desperare uu. dd.(cf. Roeperus in ‚philol. gotting.' XVIII p. 237). 1) et initium quidem uario modo instaurari potest, prout minores maioresue lacunas acceperis: dummodo ne cum Hermanno de metris p. 128 sq., cui adstipulatur Fleckeisenus (itemque uidetur legisse Corssen. de eloc. uoc. et acc. l. l. II p. 426) trochaici numeri appetantur; qui ut non nisi liberrima textus mutatione prodierunt, ita legi de metrorum consecutione aduersantur. Geppertus bacchiacum melius cum anapaestico rhythmo consociauit; laborant tamen bacchiaci ingrato auribus sonitu et catalectici insuper e parte sunt dimetri. manu scriptos qui quam maxime sequi uelit, ita e. g. scribat:

185. ‖ Nimio hominum fórtunae minús miserae memorántur, ‖ quat. + penth. ia. (cf. p. 28)
(Quam reapse) éxperiundó - is datur acérbum. ‖ dim. bac. + penth. ia.
Hoc deo conplácitumst? me hoc ornátu ornátám ‖ penth. ia. + dim. bac.

186 lacunam in init. praebent cdd., (Quam reapse) antiquitus inserebatur. secuntur iambico-anapaestici numeri, quorum descriptionem simplicissimam addere non ausim, priusquam de ‚ueteris' diuisione a Ritschelio accuratius quam a Pareo edoceamur, siquidem uario modo anapaesticos aut longiores aut breuiores constituere licet. iambicos anapaesticos bacchiacos iam bacchiaci 192 et iambico-bacchiaci 190 sq. (cf. p. 47). 193. 196 (cf. p. 39) et iambici 194 sq. (cf. ibid.) excipiunt, tum cretici et cretico-trochaici 197 sqq. (cf. p. 18. 20). — 2) incipit deinde cum noua sententia altera huius cantici pars a u. 204: bacchei et iambi iterum ordiuntur — 206, tum cretici et trochaici — 217 perpetuantur; de 218 sq. trochaeis an iambis (insequentis scaenae praenuntiis) describendis sententia procrastinanda est, dum de ambrosiani lectione constet.

Amph. I 1 poeta ab iambis ad trochaeos bis transit: 1) 153—79: incipiunt iambici et anapaestici 153—72 (cf. p. 27 sq.), secuntur bacchiaci 173—76. 178, quibus iambicus dimeter cat. immiscetur 177: Hodie ‖ qui fúerim liber, e quo Rit. parerg. I p. 383 transponendo Qui hodie fúerim libér dimetrum bacch. ac. effecerat; bacchiacos autem excipit denique unus trochaicus non praeteruidendus 179 (cf. p. 36). — 2) incipiunt rursus iambici 180—218. 248—62 creticos et cretico-trochaicos (cf. II iii § 2) circumcludentes. eos secuntur septenarii troch. 263 sqq.

Duplex quoque transitus ab iambis in I 1 et 2 ad trochaeos 301 sqq. in trinummi cantico primo latet, de quo nunc non agam. nec non in Curculione. quae cum praeter hanc ipsam actus primi scaenam alteram (= 96 — 157Fl) simplicissima metra simplicissime consociet, tantam in eo de quo iam disputabitur loco praebet difficultatem, ut et pauci — praeter Lindemannum in programmate scholastico Zittau. anno 1845 edito et Fleckeisenum in ‚philolog. gotting.' II p. 105 sqq. eundemque et Geppertum (Berol. 1845) in huius fabulae editionibus scio nullum — iique maxime interse dissentientes de eo scripserint, et Fleckeisenus uersuum praesertim I 2, 32—54 aliam in ‚philologo' aliam prorsus in editione proposuerit imaginem. attamen ut in aliis permultis ita in hoc potissimum sententiam suo iure mihi uidetur

commutasse uir clarissimus, quod cum Lindemanno adstipulatus a palatinorum — ambrosianus enim Curculionem omnino non continet — lectione recessisset, postea in strictiorem multo modum licentiam criticam coegit. uerum nescio an minus deprauatum hoc canticum sit in libris. quibus si quantum potest fieri obtemperabimus, hi ferme numeri euincentur:

totum canticum e tribus constat partibus iisque admodum conspicuis: prima 96 — ca. 116, in qua aut lena sola aut Palinurus et Phaedromus interse seorsum aut ita cum lena collocuntur, ut altera alteros conspicere non possit; secunda ca. 117 — 40, in qua tres illae personae interse colloountur; tertia 141—57, in qua post lenae abitum Palinurus et Phaedromus soli uerba faciunt. his tribus partibus, quas tres fere scaenas nuncupes, triplex respondet transitus ab iambis in I 1 ad trochaeos in I 3 uarioque modo institutus: 1) 95 — ca. 116: creticis (cf. p. 12) eorumque uicariis cretico-trochaicis (cf. p. 18. 16) primum alloeometrici iambici admiscentur eorumque uicarius anapaesticus (97b), tum trochaici, ita tamen ut iambici cum trochaicis etiam tum luctantes rursus paulum erumpant in 113, per creticos (112) a trochaeis seiuncti. hunc enim cum mss. ita scripserim:

113a.	‖ P. Et respice ád me, lena.	semisept. ia.
113b.	L. 'Imperatór quis est? ‖	dim. cr.

113a eicitur uulgo Et propter metri difficultatem. iam prima pars a secunda per baccheos secernitur. — 2) 117 — 40: incipiunt rursus cretici cum uicariis 117 — 19, inseruntur iterum iambi et anapaesti accuratissime cum mss. redintegrandi. maioris etiam momenti sunt 126 — 32; quos cum Fleck. in ‚phil. gott.' l. l. iambicis septenariis descripsisset, in editione trochaicos numeros praetulit, utrosque non sine magnis artificiis euictos. ac primum neglecto codicum ordine, quem olim seruauerat, nescio an uersus 130. 131 post 129 subtilius transposuerit, qui post plenis in 127 inserti uulgantur. etenim uerba Palinuri Dice isti in 131 ad Phaedromum, dum anus bibit, seorsum dicta uinolentae feminae exclamatione ab 127 interrumpuntur, quae plus etiam uini sibi dari cupit (cf. Lubet 127); tum post non nullas serui facetias (127 sq.) duorum illorum sermo ad rem antea tractatam recurrit uerbis ‚iamne ..... etc.' (132). ceterum metricum schema quod ego proponam fleckeisenianam transpositionem non respuet. — nec non in singulis uersibus restituendis codicum lectio ad litteram usque tuenda est. sunt autem 126—29 meri tetrametri anapaestici ac. et cat. iambicorum uice functi, quos mirum est quod non animaduerterunt uu. dd.:

126. ‖ PA Hoc uide ut ingúrgitat inpura ín se merum auaríter (‖) faucibus plenís.
130. PH. Perii hercle: huic quíd primum dicám (‖) nescio. PA. Hem istúc quod mihi dixtí.
131. PH. Quid id est? (‖) PA. Periísse ut te dicás. PH. Male tibi di fáxint. PA. Dice istí. ‖
127. L. Ah. PH. Quid est? ecquíd lubet? L. Lubet. PA. Etiám mihi quoque stimuló fodere lubet té. ‖
129. PH. Tace, noli. PA. Táceo: ecce autem bíbit arcus: pluet (‖) crédo hercle hodie.

B priores duos uu. non recte distinxisse uidetur, quos cum antecedentibus minoribus iambicis aequaret; 129 noli admodum languidulum, conicio

Tace nihili; uu. 130. 31 iam Weisius eodem metro circumscripserat; Fleck., ut suum metrum adsequeretur, add: 126 [sis] post hoc, 129 [ego] post Taceo, transp: 126 auariter merum in se inpura ing., 131 di tibi fax., 128 mihi quoque etiam et te lubet et Noli, tace, 129 hercle, credo, hodie pluet; denique [H]ah[ahe] posuit pro Ah in 127.

iam uero satis praeparati trochaici secuntur octonarii 132 et 136 + 37 (|| Te ésse? PH. Qu[on]ia[m] id, quód amo, careo. L. Phaédrome mi, ne plóra, amabo: ||, in quo Qu[on]ia[m] pro Quia Bergkii debetur coniecturae, qua ut uterer in colloquio liberalissime mihi concessit uiri doctissimi amicitia; Fleck. add: [ego] post quia et in duos dimetros hunc uersum diremit contra B, siquidem pareanis lincolis fides habenda est) et 138 (Tú me curató ne sitiam -: égo tibi quod amas iam húc adducam. ita cdd.) et quaternarius troch. 134, immixtis ut supra in secundae partis initio creticis 133. 135. Fleckeisenus in proximis trochaicos numeros continuauit 139—46. cuius auctoritati quantum tribuam etsi numquam satis adseuerare possim, nimium tamen in hoc loco difficillimo ingenio suo indulsit, neque eo usque codicum fidem debuit deserere, quibus ego sedulo obsecutus hoc metrum constitui:

139a.	|| PH. Né ego tibi, sí fidem séruas mecum,	dim. cr. + dipd. tr. (cf. II III § 2)
139b.	Víneam pro aúrea státua statuam, ||	„ „ „
140.	Quaé tuo gútturi sít monimentum.	„ „ „

139a: tibi ne ego (cdd.), quod regulae a Fleckeiseno et Hermanno in ‚philologi gottingensis' tomo II promulgatae aduersatur, meo metro non aduersatur. (apud Fleck. tales extant:

|| PH. Né ego, si fidém [tu] mecum séruas, aureá pro statua
Víneam tibi státuam, || quae sit gútturi tuó monimentum.)

ita aptissime altera huius cantici pars in cretico-trochaicos numeros exit. minus apte de anapaesticis 138—40 cogitetur, ita ut secunda pars cum tertia in unam coalescat.

3) post lenae abitum noua incipit pars a septenariis anapaesticis 141. 143 sqq. iambicorum rursus uicariis et iambico septenario 142, quos cum cdd. ita restituo:

141. Qui me in terra aéque fortunátus erit, si illa ád me bitet, ||
142. Palinure? PA. Edepól qui amat, si egét, misera adficitur aerúmna. (||)
143. PH. Non ita res ést: nam confidó parasitum hodie áduenturum ||
144. Cum argento ad mé. PA. Magnum inceptás, si-id expectás quod nusquamst. ||
145. PH. Quid si adeam ad fóris atque occentém? PA. Si lubet, nec uóto nec iubeo, ||
146. Quando ego te uídeo inmutatís moribus esse, ére, atque ingenio. ||

trochaicos qui restituere nihilo minus cum Fleck. cupiat, extremos duos aliis modo legat accentibus; ceteri uero omnes aut minoribus egebunt mutationibus (144 i[llu]t pro id, 143 ho[ce]die pro hodie — Fl: hodie [huc] —) aut etiam maioribus: ut 141 sq. Fleck. ab his non abhorruit:

Pálinure, in terrá qui me erit aéque fortunátus, illa
Sí ad me bitet? || PA. 'Edepol qui amat, sí eget, misera aerúmna adficitur. ||

sed anapaesticos numeros omnino constituendos esse apparet, quos 145 et 146 iam adnotauit Geppertus de eloc. etc. p. 120. — eos excipit lepidissimum παρακλαυσίθυρον 147 sqq. creticis tetrametris conscriptum, quos tres trochaico-cretici claudunt (155—57). nouum enim metrum ex his erui cum mss. p. 13: uersus dico e quaternario trochaico et dimetro cretico catalectico compositos:

155. || Pérspicio nihilí meam nos grátiam fácere. ||
'St, tace tace. PA. Táceo hercle equidem. PH. Séntio sónitum: ||
Tándem eaepol mihí morigeri péssuli fíunt. ||

CORRIGENDA.

Cum primas paginas ipse corrigere nequirem, non nulla e schedarum margine in textum perperam irrepserunt:

p. 3 lin. 9 sq. dele aut etiam — (cf. II VII § 2). — p. 4 lin. extr. dele rud. 198b sqq. (cf. II I § 2). — p. 5 lin. 35 post tres adde: effecit. — p. 5 lin. 35 lege tetrametros. — p. 6 lin. 10 lege longius, lin. 27 binorum. — p 11 lin. 4 dele rud. 952 et 54. — p. 13 lin. 14 adde || post sónitum: — p. 46 lin. 37 dele § 2. — p. 47 lin. 17 dele § 2. — p. 58 lin. extr. lege auarus pro aurarus. alia, ut spero, minora benignus lector indulgenter praeteruideat.

INDEX.

VITA.

Guilelmus Fridericus Adolphus Studemund natus sum a. d. V. Non. Jul. 1843 Sedini patre Augusto olim mercatore nunc uenerabilem senectutem per otium degente, matre Augusta e gente Buschiana caris mihi et adhuc superstitibus. fidem profiteor euangelicam. ad aetatis annum tertium decimum litterarum elementis in urbe patria imbutus gymnasium Sedinense, quod Ill. Heydemanno adhuc gloriatur rectore, frequentare coepi. maturitatis testimonio instructus inde ab auctumno a. 1860 per tria semestria Berolini, per tria Halis in litterarum graecarum latinarum theodiscarum et philosophiae studio operam nauaui. scholis interfui Berolini ill. Boeckhii Boppii Droysenii Gepperti Goschii Hauptii Heugstenbergii Mommsenii Muellenhoffii Nitzschii Trendelenburgii, Halis ill. Bergkii Bernhardyi Leonis Pottii Schadii Schalleri. seminarii regii Halensis sodalis fui ordinarius, Berolini exercitationibus Trendelenburgii philosophis interfui. horum omnium aliorumque, qui de me bene meriti sunt, memoria numquam in grato iuuenis animo interibit. praeter ceteros uero Th. Bergkio et God. Bernhardyo propter insignem erga me indulgentiam et liberalitatem deuinctum me semper profitebor.

THESES.

Apoll. Rhod. Δ 336 pro ὧς δὲ καὶ εἰς ἀκτὰς πληθὺν λίπεν ἀγχόθι νήσους scribendum esse ὧς δὲ καὶ εἴχ' ἀκτὰς πληθὺς περιναιετάουσα conieci (cf. Ad. Hartii amici obseruatt. crit. in Ap. Rh. 1863 p. 20).

Hiatum praecipue in senariorum iambicorum caesura penthemimere post syllabam in uocalem longam aut in **m** liquidam exeuntem apud Plautum omni dubitatione exemptum esse contendo.

Verba Sisennae corrupta apud Rufinum de metr. com. p. 385G ‚Haec scaena anapaestico metro est etc.' ad Plaut. aul. III 2 spectare conicio.

Surgentium (iambici anapaestici etc.) numerorum pedes secundos quartos etc., cadentium (trochaici dactylici etc.) primos tertios etc. fortiore ictu notandos esse contendo.

Palliatarum romanarum cantica ab una tantum persona acta esse falso creditur.

Catull. 68, 157 sq. poetae abrogandos esse censeo.